This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

CN530
K45
1841



SPECIMEN EPIGRAPHICUM

IN MEMORIAM

OLAI KELLERMANNI

EDIDIT

OTTO JAHN.

ACCEDIT TABULA LITHOGRAPHICA.

H. Ar. c. 98

SPECIMEN EPIGRAPHICUM

IN MEMORIAM

OLAI KELLERMANNI

EDIDIT

OTTO JAHN.

ACCEDIT TABULA LITHOGRAPHICA.

KILIAE
IN LIBRARIA SCHWERSIANA
MDCCCXLI.

J. V. HECLENIG
N°

ACZ 1785

EDVARDO. GERHARDO
DE
OLAI. KELLERMANNI
SVISQVE. STVDIIS
OPTIME. MERITO
PIO. GRATOQVE. ANIMO
D. D. D.
OTTO. IAHN

PRAEFATIO.

De consilio et ratione huius libelli pauca habeo quae dicam. Cum ante paucos annos Romae versarer, consilium Aemilio Braunio potissimum auctore cepperam, ea quae beatus Kellermannus ad rem epigraphicam spectantia summo studio ac labore collegerat acquirendi, ut digesta ederem et litteris servarem quae maximam iis utilitatem conferre posse viderentur. Mox tamen, cum difficultates, quibus tantum opus me paene suppressurum esset, et vires meas atque facultates accuratius examinarem, quas tanto operi suscipiendo vix pares futuras esse vidi, spes egregia, quam animo conceperam, mea opera effectum iri, ne perditum irent quae tam eximia cura atque diligentia, tanto fervore et studio a Kellermanno congesta fuerunt, magis magisque me deseruit, et iam in eo eram, ut consilium illud totum omitterem et aliis opus perficiendum relinquerem, qui ab ingenio et facultatibus melius instructi maiore cum fiducia et successu in hanc arenam descendere possent. Tunc vero Regia Academia Berolinensis, cuius favorem atque benevolentiam Gerhardus et Lachmannus, quo sunt amico erga me animo, mihi conciliaverunt, significavit mihi, quae Kellermannus sua quoque auctoritate et pecunia adiutus incepisset ea perire se non passuram, itaque quod illi olim concessum fuerit id mihi iam promisit, quo Kellermanni reliquias acquirere possem. Iam ego omnem dubitationem abiiciendam esse et opus

arduum alacri animo aggrediendum intellexi, in eamque rem studium et vires omnes intendendas esse, ut quantum in me esset tali fiducia a talibus viris in me posita dignum me praestarem.

Specimen igitur studiorum a me in epigraphice ponendorum potius quam positorum edendum mihi esse vidi, in quo duo prae ceteris spectanda esse putavi. Primum enim Kellermanni memoriae satisfacere debebam, et exemplis demonstrare, quid ab illo exspectandum fuisset, nisi tristissimo fato in ipso iuventutis vigore iis studiis ereptus fuisset, quae tanto amore ab eo colebantur. Primo igitur loco posui dissertationem de calendarii Cumani fragmento, quam perfectam reliquit, in eaque nullae meae partes sunt, nisi quod Italice scriptam Latine verti, quod huius libri rationi accomodatius videbatur; adieci etiam ipsius inscriptionis exemplum tabula lithographica expressum, ne quid deesset ad monumentum haud minimae auctoritatis intelligendum. Invenies autem in hac quoque dissertatione solidam Kellermanni doctrinam, qui quicquid tractavit accurate et circumspecte egit, nusquam vanis coniecturis indulsit, in omnia ipse sedulo inquisivit, neque quicquam posuit, nisi omnia quae in causam venire possent considerasset atque pensitasset. Quare cum exemplum quoddam doctrinae Kellermannianae proponi posset, nihil de meo addere volui, et quaedam, quae adiicere volui, ut de coniunctione deae Romae cum Augusto aliisque imperatoribus, omisi tanquam haud necessaria, ne occasionem arripuisse importunus viderer alienis mea ingerendi, et eorum tantum notitiam addidi quae post Kellermanni mortem scripta ad rem tamen pertinere viderentur. Praeterea e commentariis ad inscriptiones Dalmaticas, de quibus infra dicetur, selegi eam partem, quae de accentibus seu apicibus in inscriptionibus Latinis agit, partim ut luculento exemplo docerem, quantopere studuerit Kellermannus, ut hoc opere suum sibi locum

inter eos viros pararet, qui de epigraphica quam maxime meriti essent, quantam curam etiam in minimis adhibuerit, partim quia haec disputatio per se perfecta, neque necessario quodam vinculo cum ceteris coniuncta, omnibus qui hanc rem intricatam et paene neglectam tractaturi sunt materiam ampliorem et commodius digestam praebet, quam usquam inveniri potest. In hac vero commentatione edenda, quam et ipsam Latine verti, paullo plus mihi iuris sumsi. Non quasi quidquam mutassem et aliter posuissem, atque a Kellermanno profectum fuit, sed cum viderem eum in indicem suum non retulisse ea quae Marinius in libro de inscriptionibus Albanis attulerat, quae tamen haud minoris fidei et auctoritatis sunt, quam ea quae in libro de actis fratrum Arvalium congesta reperiuntur, et exemplorum numerum et varietatem insigniter augent, haec ipsa asterisco tamen notata indici inserui. Praeterea commodum facere putavi, si corollarium inscriptionum adiicerem, quae apicibus insignitae sunt, ex libris quibusdam in hisce terris rarioribus petitarum, quorum editores titulos accurate et diligenter exscripsisse videntur. Quodsi in his omisi, quae alii desiderabunt, non nego, quaedam me fortasse fugisse, alia tamen dare me non potuisse, cum libris epigraphicis caream permultis, facile credes. Denique quod adnotationes adieci, in quibus quaedam ad inscriptiones ipsas spectantia illustrare conatus sum, id me non eo animo fecisse, quasi a Kellermanno neglecta et praetermissa adiiciendo gloriolam captare voluerim, non est credo quod moneam. Sed cum mihi hic plus ad exspatiandum loci concessum viderem, quam habuit ille, qui excursum commentariis insertum digressionibus novis noluit onerare, ubi quaedam habui, quae quamquam nec nova nec egregia utiliter tamen adnotarentur, ea adscribere non dubitavi, praesertim cum in libris epigraphicis quam maxime iis quae per se utilia sunt etiam locum alienum non invideri videam. Ceterum

quae huic disputationi ego addidi ea in textu uncinis inclusa sunt, annotationes a me adiectas litteris significavi.

His a Kellermanno profectis mea interposui, ut qui medio tutissimus irem. Alterum enim quod mihi proponendum habui, id fuit ut viris doctis probarem, me pro virili studium adhibuisse, ut in epigraphicen me insinuarem. Quod cum viderem brevi hoc temporis spatio eum effectum habere non posse, ut opus aliquod proponerem, quod meae curae plausum conciliaret, materiam circumspiciebam, quae per se novitate sua commendaretur, et ipsa editione litteris utilitatem mihique quantulamcunque laudem afferret. Etiam hac in re, ut multis in aliis, Braunio debeo, quod huic meo desiderio satisfacere potui. Scripsit mihi, detectum esse Romae a viro egregio et de nostris studiis optime merito, Campana, columbarium permagnum cum inscriptionibus permultis, inter quas quaedam nova docerent: quo nuntio accepto ego statim intellexi, has inscriptiones si edere possem, facile me quod cupiebam assecuturum esse. Quod cum ei significassem, misit mihi statim apographum inscriptionum, quod sibi confecit, monuitque, ipsum Campanam eas editurum esse, ut in diariis quoque instituti archaeologicis promissum est. Hoc opus dum exspecto, studium in explicandis hisce inscriptionibus posui, ut experirer, quid ipse possem, et haberem si quid esset quod iis adderem quae editor Romanus allaturus esset, haud inscius, copias meas longe superatum iri a viro in his rebus versatissimo. Interim, quo melius rem meam agere possem, Braunius iterum inscriptiones ita descriptas misit, ut Campana editurus erat, adiectis etiam iis quae ab eodem viro antea iam repertae in opere eius accesserant. Sed cum procedente tempore exspectationem meam operis Campaniani falli viderem, nec rationes meae libelli huius editionem diutius morari paterentur, proprio Marte mihi progrediendum esse

intellexi. Dolebam autem, quod libro destitutus fui, qui mihi et lectoribus magnam utilitatem praebuisset; columbarium ille quidem tabulis magnifice illustraturus est, cum ego paucis illis quae in diariis instituti archaeologici et ad me litteris perscripsit Braunius contentus esse debeam, et praeterea sine dubio multa ille monuit, quibus ego non minus aegre carebam, quam lector. Neque tamen omnino ab editione harum inscriptionum deterreri me passus sum, cum persuasum haberem, splendidum illud opus his terris paucorum in manus venturum esse, ut omnino iniquo fato quae apud Italos eduntur egregia opera immani pretio non nisi rarissime acquiri apud nos possunt. Itaque operae pretium facere videbar, si inscriptiones illas cum viris doctis communicarem. Contuli autem ubique cum inscriptionibus, ut e Campanae apographo descriptae erant, prius apographum, quod Braunius ad ipsos titulos confecerat, et omnem quam inveni discrepantiam in annotatione notavi, ubi apographum prius illud a Braunio factum significare tenendum est, quod aliquoties meliorem lectionem servare animadvertes. Praeterea in annotatione attuli, quae ad explicandas inscriptiones et promovendam epigraphices cognitionem conferre viderentur, quam provinciam quomodo administraverim, ipse iudicabit lector eruditus. Quodsi quis occasionem me captasse dicet ineditas inscriptiones edendi, equidem non negabo, sed ut excusem, si excusatione opus est, haec affero. Ne dicam, liberalitatem esse agnoscendam, si praeter necessitatem bona et utilia larga manu afferat, id potissimum nunc spectavi, ut Kellermanniarum copiarum futurus editor, quam multa et praeclara ab iis exspectari possent, hic ubi occasio ferebat exemplis quibusdam clarum facerem. Nam cum multis de causis huic primo specimini epigraphico materia, cui operam darem, non e Kellermannianis sed aliunde sumenda esset, laborandum sane fuit, ne quis id penuriae potius, quam nimiae, id quod

verum est, copiae tribuere vellet. Praeterea etiam — sed nolo nimiam affectare timiditatem — afferre potui, ita si quid peccaverit annotator, condonatum iri facilius editori; nam revera eius qui novum quoddam antiquitatis monumentum in lucem protrahit quantulumcunque meritum esse puto. Pietatis autem officium mihi esse videbatur, eorum lapidum, quos ipse Kellermannus collegit et iam institutum archaeologicum servat, inscriptiones hic edere, quas illis adieci. Grato autem animo mihi profitendum est, cum harum inscriptionum, quas manibus quotidie versavi, apographum mihi facere de die in diem distulissem, et subito a medico monitus Romam linquere debuissem, Guilielmum Abekenium inscriptiones amici mihi descripsisse, eiusque me apographo usum esse. Denique quo commodius iis quae in hoc libello diversa sane et dispersa afferuntur uti posses, indices addidi accurate confectos, quibus quidam magis delectantur, quam ipsis libris, ita ut cuivis editoris officio, quantum in me fuit, satis fecisse videar.

Haec habui, quae de me meaque ratione praefarer; alterum restat, ut de eius viri, cuius memoriae hunc libellum destinamus, vita et studiis breviter dicamus.

Olaus Christianus Kellermannus natus Havniae d. 27 Maii a. 1805, privata institutione primum usus est usque ad decimum tertium aetatis annum, quo, cum ex hac disciplina parum proficeret, scholae virtutis civicae Havniensis traditus est. Ibi diligentia sua ita se magistris commendavit, ut mox principem inter discipulos locum obtineret. Verum cum pater, qui regi a consiliis iustitiae vectigalibus apud Neomonasterienses (qui est Holsatiae vicus) praepositus erat, filium tanto spatio a se separatum aegre ferret, duos post annos in gymnasium Ploenense transiit, ubi Bremeri, optime meriti senis, auspiciis litteris operam dedit. Hic iuvenilis amicitia cum Kellermanno coniunxit Ludovicum Rossium, quae

ultra scholam quoque duravit et litterarum commercio posteris quoque temporibus alta est, cum, quod neuter olim suspicatus erat, alter Athenis, Romae alter antiquitatis studium insigni cum laude et fructu colerent, uterque inscriptionibus potissimam curam consecraret. Neque Ploenensem scholam ultra quattuor annos frequentavit, sed a. 1825 Havniam reversus H. M. Flemmeri, qui nunc scholae Fredericoburgensi rector praeest, egregiae disciplinae commissus est, qui, cum post anni unius spatium dimitteret, eum tam ab ingenii dotibus quam a strenua diligentia commendavit, eumque ex hominibus perquam raris esse praedicavit, qui invicto ferrentur ad litteras studio, quibus cum his solis bene esset, ab iisque se divelli nunquam paterentur, et ita quidem, ut arrogantia ingenii laudem neutiquam deturparet, sed ingenua modestia magis etiam ornaret. Duos per annos in universitate Havniensi philologiae, ducibus Thorlacio inprimis et Petersenio, vacavit, eo quidem successu, ut duo examina, quae ei ex more academiae Havniensis subeunda erant, summa cum laude superaret. Tum gravi quodam morbo correptus domum paternam rediit, et quo valetudini consuleret plus quam sex menses a litterarum studiis abstinuit. Quae iterum in nostra universitate aggressus est, ubi sex menses commoratus, a Nitzschio inter sodales seminarii philologici receptus, eiusdem viri ut Dahlmanni et Bergeri lectionibus academicis interfuit. Inde a. 1828 Monachium petiit, ibique duos per annos praeter Schellingium Thierschium potissimum audiit, et a. 1831 primum studiorum suorum specimen edidit, de re militari Arcadum dissertationem inauguralem (Monachii 1831. 8). Posuit enim tunc temporis in re militari veterum perscrutanda praecipuum studium, quam rem ut penitus intelligere et explicare posset, nihil magis optandum sibi esse vidit, quam ut Italiam adiret, quod desiderium tanto maiore cum vi in eo suscitabatur, quo maiorem spem ale-

bat, fore ut valetudinem, qua nunquam gavisus est satis firma, sub miti Italiae coelo prorsus restitueret. Itaque fretus notissima illa liberalitate, qua Dania civibus suis, qui docta cura exteras terras et gentes visitare patriamque talium peregrinationum fructibus locupletare student, succurrit, Regem Clementissimum precibus adiit, ut stipendio se augeret, quo Italiam petere ibique studiis suis vivere posset. Nec spes eum fefellit, paucis mensibus interiectis quod petierat obtinuit. Interim, ut valetudinem studiis et laboribus labefactatam firmaret, in viculo quodam Alpium Rhaeticarum degit, ibique amoenissimo loci situ et antiquis incolarum moribus ita delectatus est, ut postea huius temporis gratissimam servaret memoriam, neque unquam suavius et iucundius se vixisse recordaretur. Quid, quod hominum simplicium eum amorem comitate et hilaritate sibi conciliavit, tantamque prudenti sermone et paucis quos secum attulerat libris doctrinae et ingenii apud eos famam nactus est, ut complures post annos, cum Romae esset, epistolam acciperet, qua certiorem eum fecerunt, diem obiisse ludi in eo vico magistrum, perque gratum sibi fore, si ipse hoc munus suscipere vellet. Quod quamquam non potuit quin detrectaret, non sine animi commotione tam ingenui et simplicis amoris testimonium accepit. Hic loci cum versaretur, nuntium accepit, stipendio, quod petierat, auctum se esse, statimque Italiam petiit mense Octobri a. 1831, et Romae sedem studiorum suorum fecit. Ibi bibliothecae Vaticanae thesauros non neglexit, et iis potissimum viris doctis, quibus Romam adire negatum fuit, conferendis codicibus operam suam praestitit, qua in re omnes qui cura eius usi sunt sollertem illam et accuratam diligentiam atque fidem experti sunt, quam iure inter principes Kellermanni nostri virtutes numeramus. Verum ipse cum ad inscriptionum Romanarum inexhaustos thesauros accuratius examinandos et pervestigandos delatus esset, mox intel-

lexit, quantum hic restaret faciendum, neque multum in eo studio temporis consumsit, quin agnosceret, hoc esse cui vitam impenderet. Indefesso igitur studio quicquid inscriptionum nancisci potuit curiose et diligenter oculis manibusque pertractavit et in schedas descripsit, quas domi iterum eleganti manu describeret et iusto ordine disponeret, neque unquam fere vel tantillum domo exspatiatus est, quin unam alteramque inscriptionem accurate descriptam reportaret. Hanc rem tam intento studio tamque attento animo egit, ut artem videndi, quae in aliis rebus recte magni aestimata in epigraphice sine dubio primarium locum habet et longe difficilior est, quam is credat qui inscriptiones ex libris tantum tractavit, egregie mox calleret. Longa enim exercitatione et attenta cura opus est, ut in lapidibus, temporis et tempestatum iniuriis et hominum quoque scelere saepe pessime tractatis, inscriptas litteras corrosas et paene deletas recte ubique agnoscas, et saepe digito artifice utendum est, ubi litterarum vestigia paene deleta oculorum aciem fallunt, denique summa cautio adhibenda est, ne in ipso transscribendi opere, praesertim ubi longiores inscriptiones sunt, fallaris. Adde, quod haud raro tituli, si a museis recedas, ita positi sunt, ut aditum paene nullum praebeant, et summis molestiis laborandum sit, si quis a describendi opera non desistit. Verum his ac similibus difficultatibus non passus est se absterreri Kellermannus, immo stimulabant animum, et carius habebat quicquid summo labore acquisiverat. Itaque nihil intentatum reliquit, ut inscriptiones detegeret et describeret, nihil tam devium, tam desertum fuit, quo non penetraret, si titulorum acquirendorum spes affulserat, non operae, non curae, non tempori pepercit, ut quicquid videret diligentissime describeret, descriptum iterum iterumque conferret, donec certus esset, omnia se, quod aiunt, cum pulvisculo excussisse, neque quicquam a se praetermissum esse vel neglectum.

Nam iure id primum in epigraphico esse putavit, ut inscriptiones summa fide ac religione repraesentaret, neque quicquam omitteret quo certum et fixum fundamentum iaceret, cui pulcrum et solidum aedificium superstrui posset, cuius non metuenda esset ruina. Itaque dicere solebat, eam a se curam adhiberi, ut olim vere de se praedicari posset, quod de Smetio haud immerito dici solet, ubi legeretur „Kellermannus vidit" dubium non esse, quin recte vidisset et verum dedisset. Et si eos viros prae ceteris admiramur, qui contemta vana gloria uni veritati student, atque, ut litteris vere prosint, summo studio veraque religione ne minima quidem negligunt, neque ullum laborem detrectant, vere hanc laudem Kellermanno vindicamus, qui eo amore haec studia amplexus est, ut in iis veram vitam inveniret, eoque plúris aestimanda haec viri virtus est, quod a paucis tantum, quot et quantae molestiae atque difficultates superandae essent, aestimari posse bene intellexit. Ingenui huius studii etiam hoc documentum fuit, quod amicos quoque in communionem huius operae traxit, neque fuit quisquam eorum qui cum eo vixerunt, quin quoquo modo posset inscriptiones quaereret, describeret, Kellermanno mitteret; quisquis eorum iter fecit inscriptiones transcriptas aut per litteras ei misit, aut redux cum eo communicavit, unde permultae eius schedae, quasi amicitiae et hospitalitatis tesserae, nomina amicorum qui exscripserunt subscripta habent, Abekeniorum, Ambroschii, Gayei, Krameri, Scheppigii, qui, si haec legent, grato animo amici defuncti memoriam recolent.

Hoc conquirendi et describendi labore non contentus, quae antea a viris doctis collecta et explicata erant in suum usum convertere studuit, et pari assiduitate atque diligentia immensos inscriptionum thesauros et ingentem, quem enumerare vix possis, librorum ad epigraphicen spectantium numerum pervolvere et cum suis inter seque

conferre incepit. Qua in re non potuit eum fugere, quantis difficultatibus, ut nunc res se habent, studium epigraphices prematur. Nam ut omittas, permagnum numerum earum inscriptionum, quae magnis illis collectionibus non continentur, sed in innumeris libellis, dissertationibus, ephemeridibus editae sunt, paucis tantum notum esse, omnes vix uni alterique, praesertim in Germania, quo libelli Italici non nisi raro veniunt, haud parvam igitur inscriptionum cunctarum partem in usum virorum doctorum non venisse, etiam istarum collectionum usus magnis molestiis laborat. Primum haud parvi momenti est, quod quaedam earum indicibus carent, qua re usus earum valde imminuitur, cum nisi totum opus perlegeris nunquam certus esse possis, num quid contineant quod in rem tuam faciat. Molestius etiam hoc est, quod permultae inscriptiones, ubi e diversis fontibus ducebantur, partim in eodem opere, partim in diversis collectionibus repetitae leguntur, modo hic illic mutatae, modo eadem ubique ratione expressae, porro quod longiorum inscriptionum diversae partes pro integris haud raro repetuntur. Quae confusio quantas molestias creet ei qui iis uti velit, quot et quantas de vera lectione dubitatione suscitare debeat, facile apparebit etiam ei qui nunquam expertus est. Omnium autem gravissimum est, quod Pyrrhi Ligorii fraudes ita imposuerunt Ursinio, Panvinio, Manutio aliisque viris honestissimis et integerrimis, de quorum fide dubitare piaculum foret, ut eorum opera omnia iam repleta sint inscriptionibus fictis, quae cum nullam auctoritatem habeant, omnia tamen ita miscent et confundunt, ut is qui his rebus occupatus est, si quando post diuturnas molestissimasque quaestiones id assecutus est, ut hanc talium inscriptionum originem certo agnoscat ipsasque ut ficticias reiicere possit, felicem se praedicare debeat. Ita factum est, ut hodieque, cum ex iis qui magnas inscriptionum collectiones ediderunt soli fere

Maffeius et Marinius plane a Ligorianis abstinuisse putandi sint, etiam post egregias et attentas VV. DD. curas, quibus genuina a falsis separare studuerunt, magna talium inscriptionum vis epigraphicorum studia molesta et suspecta redderet. Sed in re gravissima gravissimi viri testimonium audire iuvabit, Borghesii, qui ita ad Kellermannum scripsit: „Omnium gravissimum erit, epigraphicen tandem aliquando Ligorii fraudibus prorsus liberare, quod ne Orellii quidem sana critica perficere potuit. Quo magis in inscriptionum studium te insinuaveris, eo magis ingentem numerum eorum stupebis quae ingenium eius infeliciter ferax ad tot viros egregios fallendos effinxit, quorum maxima pars ne nota quidem est, cum ultra volumina LX composuerit, quorum nullum typis expressum est. Ubi libros eius manuscriptos, qui in bibliotheca Vaticana servantur, accuratius inspexeris, videbis, quam multa ex hoc impurissimo fonte deducta sint, quantam eius fraudes auctoritatem adeptae sint, et dolebis, si cogitaveris, quot veterum scriptorum locos VV. DD., quibus tantum debemus, fallaci hac auctoritate permoti, corruperint potius quam emendarint. Expertus equidem talia queror, nam haud unum annum in componendis fastis perdidi indefesso studio inscriptiones cum omnibus quae certissima erant discrepantes in ordinem digerendi et cum ceteris componendi, donec tandem aliquando ab hoc homine fictas esse deprehendi, a quo profectas plus quam quadringentas inscriptiones ex fastorum serie exclusi.“ Haec atque similia animum Kellermanni in dies magis magisque movebant, et consilium ei suggerebant, ut epigraphicae pro virili parte consuleret, collectionis inscriptionum edendae in qua omnia comprehensa essent, quae post magnos illos thesauros aut correcta aut omnino nova edita essent, et quae ipse vel collegisset inedita vel ad marmorum fidem emendasset. Praeter has inscriptiones, quarum numerum ad viginti quinque milia accedere aestimavit,

dissertationes et excursus addere voluit, in quibus cum de hisce titulis rationem redderet, tum de iis quae in ceteris libris epigraphicis repetita aut male divisa invenirentur, et de iis quae pro falsis habenda essent, accurate disseereret; denique indices diligenter elaboratos, qui Fabrettii quoque et Sponii opera epigraphica spectarent, adiicere in animo habebat.

Tale opus autem, quod multum sane temporis atque laboris sibi poscit, ut susciperet et perficere posset, insignem in modum instituto archaeologico adiutus est. Gerhardus enim, cuius auctoritate et studio institutum archaeologicum paucos ante annos Romae conditum erat, quo nullum unquam aliud plus ad antiquitatis cognitionem promovendam contulit, eo animo quo omnes, quibus studia haec curae cordique esse cognovit, Kellermannum quoque amplexus est, et cum eum totum studiis epigraphicis deditum videret, quorum ad antiquitatem recte intelligendam utilitatem nemo melius perspicit, nihil omisit quo ei operam aliquam ferre posset. Etiam apud Bunsenium, qui tunc temporis Regis Borussorum apud S. Sedem Apostolicam legatus erat, sincero et ingenuo litterarum studio ita acceptus fuit, ut quovis modo eum adiuvaret, consilio moneret, et quocunque posset modo opus ab eo inceptum urgeret et iuvaret. Itaque cum a. 1833 Gerhardus Romam relinqueret, partem officiorum suorum Kellermanno tradidit, eique prae ceteris cura ephemeridum edendarum demandata est. Quae res eius studiis haud parva commoda attulit, quorum minimum erat, quod ita non modo occasionem, sed officium de rebus epigraphicis scribendi habuit, sicut revera in actis instituti archaeologici egregia studii sui specimina edidit. Maius erat, quod eius utilitatis, quam habet illud institutum primarium, ut commercium archaeologicum sustineat, et notitias, quae antiquitatem spectant, undecunque certas statim accipiat et cum orbe litterario communicet, haud minimam par-

tem suum in usum vertere potuit. Nam cum haec studia in Italia multo magis vigeant, quam apud nos, et instituti archaeologici longe alia auctoritas sit, scriptaque eius multo maiore cum studio legantur, fieri non potuit, quin mox, quia per eum omnia fiebant quae ad instituti res pertinerent, omnibus notus fieret qui in Italia has res curant, quorum haud parvus numerus est. Qui cum statim intelligerent, cum viro sibi rem esse, qui cum vero sinceroque studio parem doctrinam egregiumque ingenium coniungeret, nihil antiquius habebant, quam ut cum eo communicarent quaecunque communia studia iuvare possent. Itaque haud mirandum, si post tempus haud ita magnum amicitiam omnium fere virorum qui iam in Italia antiquariae doctrinae laude florent nactus est, ut ex epistolis potissimum, quas penes me servo, didici, quorumque longum recensum addere possum. Unus autem omnium ita de eo meritus est, ut quicquid praestaret in epigraphice ei potissimum se debere gratissimo animo semper profiteretur, quocum quaecunque egit summa minima communicavit, cuius consilio et doctrina prompta in omnibus usus est, Bartholomaeus Borghesius. Hic vir maior, quam qui a me laudari possit, e Caietani Marinii disciplina profectus, solo litterarum amore ductus, in studiis numismaticis et epigraphicis plus quam triginta annos ita versatus est, ut quem ei comparare possis perpaucos fortasse, quem ei anteponas neminem invenias. Borghesius igitur, ad quem deferri solet, si quid in his litteris controversum est atque desperatum, et cuius sententia lites dissolvit, cum egregium iuvenis ingenium videret et studium, non solum multa cum eo liberaliter communicavit, quae in schedis servavit, et consilio eum adiuvit, verum permisit ei, ut, si quid haberet obscurum de quo edoceri cuperet, ad se referret, se quid de quaque re sentiret rescripturum esse. Intellexit Kellermannus, nihil felicius evenire posse iuveni, quam si talem

virum inveniret, qui cum summa doctrina atque experientia tam benevolum animum, tam verum litterarum amorem coniungeret, ut quaecunque ipse invenisset, quaecunque summo opere et labore acquisivisset, non sibi sed litteris se acquisivisse putaret, et tunc tantum magni aestimaret, ubi cum aliis ea communicando verum ex iis fructum percipere posset. Praeclara igitur liberalitate usus non modo novas si quas invenit inscriptiones cum eo communicavit, ut sententiam eius cognosceret, sed quicquid erat de quo dubitatio ei oriretur, de quo quid faceret haereret, vel levissima ad Borghesium perscripsit, qui admirabili doctrina dubia solvit, quo quaeque referenda essent docuit, errantem comiter in viam reduxit, ad alia animum eius advertit, omnino ita cum eo egit, ut, quod de Boeckhio egregie olim dixit O. Müllerus, quae et quanta eorum, quae sciret, Boeckhio deberet et ex eius disciplina profecta essent, se nullo modo posse discernere, idem de Borghesio Kellermanno dicendum esset. Quae ex hoc commercio litterario natae sunt Borghesii litterae numero sat multae, quas cum veneratione atque admiratione examinavi, si cum Kellermannianis coniunctae ederentur, haud minore cum fructu credo legerentur, quam Hagenbuchii epistolae epigraphicae, et summam iis praesertim utilitatem praeberent, qui tirones in hisce studiis viderent, qua via incedendum esset, et exemplum haberent, quod imitandum sibi proponerent. Sed vetuit Borghesius, ne quid harum litterarum publici iuris fieret, ne quicquam eorum de quibus inter eum et Kellermannum actum fuit sibi vindicare videretur, quod hic narrare non dubitavi, quia Kellermanno, qui semper quantum deberet Borghesio gratissimo animo agnovit, non minus honori est, quam Borghesio.

A talibus igitur viris adiutus cum intentiore in dies cura et labore studiis epigraphicis vacaret Kellermannus, magis magisque intellexit, si tale consilium, quale modo

descriptum est, secuturus esset, magnum quidem et viris doctis pergratum opus se perfecturum, neque tamen id factum iri quod omnibus malis mederetur. Ut res absolveretur, integrum corpus construendum esse vidit, quod omnes inscriptiones Latinas coniungeret, falsas excluderet, genuinas, quantum fieri posset, ad ipsa marmora correctas et commodo ordine dispositas exhiberet. Abhorruit tamen a tali incepto animus, quod unius hominis vires longe superare et ita comparatum esse videbatur, ut omnino perfici vix posset. Paullatim tamen magnitudine operis et praeclaro quem habere debuit usu allectus, difficultates, ut fit, imminui vidit, et, plaudentibus atque suadentibus amicis, quod ab initio longe reiecerat tamen perfici posse putavit. Omnes inscriptiones, quae in magnis illis collectionibus editae sunt, numerum sexaginta milium non videntur superare; quod si reputaveris, quot ex his pluries repetitae sint, quae semel tantum ponendae sint, quot falsae prorsus excludendae, intelliges, dimidiam fere harum inscriptionum partem restare, quae novo inscriptionum corpori inserendae sint. Quibus si inscriptiones postea editas aut inventas, quas ad viginti quinque milia fere accedere supra posuimus, addideris, revera hodieque inscriptiones sexaginta milium numerum vix superare invenies. Vidit etiam, haud multo minus laboris et studii a se adhibendum fore, si prius illud consilium exsequendum sibi sumeret, quam si hoc multo utilius perficeret; neque fugit eum, quantopere labor ille inscriptiones colligendi et accurate edendi levaretur insigni studio, quo ubique fere per Italiam quicquid inscriptionum antiquarum superest servatum et compositum invenitur. Nemo sane negabit, tale opus condere haud exigui profecto esse moliminis. Ut tamen susciperet, permovit Kellermannum non modo Bunsenii auctoritas, quam iure maximam esse putavit, qui non destitit hortari, ut magna auderet, et incepto operi quovis

modo favit, sed multorum etiam amicorum promissa. Borghesius collectionem figulinarum (bolli) plenissimam, opus a Caietano Marinio inceptum, et post eius mortem ab ipso diligentissima cura absolutum et expolitum, promisit thesauro inscriptionum inserendam, et opus summi momenti, monumenta hypatica. Haec complectuntur plus quam quatuor milia inscriptionum (utor iis quae Borghesius ipse ad Kellermannum perscripsit), secundum temporis ordinem ita dispositarum, ut in classe quinta Muratorianas habemus, praeter eas quae temporis notam habent, omnes quae ad personas consulares referuntur eorumque parentes, uxores, liberos, exclusis iis quae ad Augustos spectant, quorum consulatus ex nummis satis certo cognosci possunt. Cum talia gravissime iam monere deberent Kellermannum, ne opus a talibus viris probatum et adiutum omitteret, illud quoque accessit felicissimum, ut laboris socium inveniret idoneum. Sartius enim, Bononiae a Mezzofantio eruditus, in universitate Romana orientalium linguarum professor, apud nos quoque Bunsenii praefatione ad topographiae Romanae volumen secundum notus, inde a pueritia summo studio omnia tractavit quae ad antiquitatem Romanam spectant, et Romae inscriptionum tantam sibi comparavit cognitionem, ut a nemine facile superari posit, ita ut inscriptionum omnium quotquot in museis Pontificiis servantur edendarum cura ei mandaretur. Hic igitur se cum Kellermanno coniunctum arduum illud opus aggressurum esse promisit, et ita quidem, ut omnes inscriptiones Latinas antiquas, et Christianas quidem usque ad saeculum octavum, uno corpore comprehenderent. Inscriptiones eo ordine ponendae visae sunt, quo Scaligero potissimum auctore posuit Gruterus, notis, nisi iis locis ubi necessario requirerentur, non additis; ut explicationi consuleretur, praeter indices plenissimos, anaglypha, quibus lapis quisque ornatus esset, ubicunque

operae pretium videri posset, aeri incisa inscriptionibus addere visum est. Ut autem, in qua re summum positum erat, religiosa cum fide ederentur, Italicas quidem omnes ipsi denuo exscribere voluerunt, alias quoque terras, Hispaniam inprimis, ipsi si fieri posset visitaturi, reliquas autem a fidis hominibus aut charta madida exprimendas aut diligenter exscribendas curare propositum fuit.

Hoc consilium cum post varias diuturnasque considerationes optimum esse intelligeret, ceteris omissis id unum egit, ut eventum haberet quod cogitatione tantum secum volverat, itaque officiis quae instituto archaeologico praestitit renunciavit a. 1835. Intellexit autem prae ceteris facultates parandas esse, quae ipsi et Sartio permitterent, ut omnem curam huic soli operi impenderent ceterosque sumtus necessarios facerent. Cum computasset, haudquaquam ingenti pecunia opus esse ad id perficiendum, quod sibi proposuerat, — credidit enim mille octingentos scutulatos Romanos annuos sufficere, ita ut intra octo annos omnia absoluta esse possent — spem concepit fore, ut in patria atque Germania per academias potissimum nancisceretur quod requirebatur. Ante omnia, quo nomen suum viris doctis commendaret, specimen studiorum epigraphicum elaboravit et a. 1835 hoc titulo edidit: Vigilum Romanorum latercula duo Caelimontana magnam partem militiae Romanae explicantia, edidit atque illustravit, appendicem inscriptionum, quae ad vigiles pertinent, laterculorum militarium hucusque cognitorum omnium et inscriptionum variarum militarium adiecit O. K. De cuius operis pretio hic referre supervacaneum est, cum a viris gravissimis suis laudibus ornatum sit, Borghesium dico (Bullet. d. Inst.), Cardinalium (Giorn. Arcad.), Madvigium (Maenedsskrift for Litteratur, 1836, II, p. 118 sqq.). Hoc opere instructus rediit in patriam mense Maio a. 1835, et Havniae per totum hiemem versatus

est, ubi cum consilium suum academiae Regiae proposuisset, summo eius favore gavisus est, et cum ex facultatibus academiae, tum Regis clementia stipendium sexcentorum scutulatorum nactus est in tres annos subsequentes, ita tamen, ut, si bonum successum habiturum esset opus inceptum, in posterum quoque stipendium ei concederetur. Laetus hoc successu mense Maio a. 1836 Romam reversus est. Tunc videbamus eum Kiliae laetissimam spem de successu operis, quod fervidus urgebat, alentem, faustissimaque omnia viro precabamur, qui quod summo studio petierat iam assecutus esse videbatur, nescii heu quid fatum ferret. Berolinum profectus ibi quoque academiae Regiae plausum sibi conciliavit, quae et ipsa annuo stipendio eum beavit. Post plurium mensium commorationem, quibus ad usurpandos bibliothecae thesauros eum usum fuisse schedae eius docent, Monachium abiit, ubi academia consilium de corpore inscriptionum edendo secum communicatum quam maxime probavit, ipsumque se adiuturam promisit. Verum hic iam corripuit eum fatalis illa pestis, quae eum postquam diu aegre laboravit dimisit, ut Romae nondum anno praeterlapso opprimeret. Ita factum est, ut mense demum Decembri Monachium relinqueret, et Romam peteret, quo mense Ianuario a. 1837 pervenit.

Summo nunc studio opus, quod iam a se perfectum iri sperare potuit, aggressus est, in quo duplicem operam posuit. Primum enim indefessa cura perrexit in labore inscriptiones ex marmoribus describendi, descriptas in certum ordinem redigendi, et quaecunque iam editae essent cum editis exemplis comparandi et iterum cum lapide conferendi. Alterum erat ut inscriptiones magnarum collectionum singulas exscriberet aut excideret, et iusto ordine disponeret, ut correctas olim omnes coniungeret. Huius laboris molestissimi initium fecit a Gruteri collectione, et magnam vasti operis partem hunc in finem iam con-

sumsit, cum morti immaturae occumberet. Praeterea alterum quoque opus iam antea inceptum perfecturus erat. Brevi enim tempore antequam patriam repetiit, Francisco Lanza, Spalatino, auctore inscriptiones Dalmaticas, quas partim ineditas, partim correctas aut e libris rarioribus petitas cum eo communicavit Lanza, disponendas et illustrandas suscepit, ut commentario instructas libro quem de rebus Dalmaticis scripturus erat insereret Lanza. Ab hoc viro honestissimo invitatus, in animo habuit Kellermannus, cum in Italiam reverteretur, Spalatium adire ibique de inscriptionibus accuratius quaerere, verum temporis angustiis exclusus quam celerrimo itinere Romam Monachio petiit. Ut promissis suis staret, inscriptiones Dalmaticas omnes, numero quingentas fere, suo ordine disposuit, in commentario autem elaborando non ultra inscriptionem octogesimam quintam progressus est. In hoc autem commentario, cum videret, inscriptiones ipsas non eius momenti et gravitatis esse, ut prae ceteris potissimum tractarentur, id maxime egisse videtur, ut omnes eruditionis copias effunderet, omnes quae attingendae erant quaestiones quam accuratissime tractaret, cunctaque inscriptionum ineditarum magno numero illustraret, denique luculento exemplo ostenderet quid posset. Neque dubitari potest, quin hic commentarius, si perficere eum licuisset, inter doctissimos et utilissimos libros referendus fuisset, principemque sibi locum inter eos vindicasset, id quod clarissime patebit ex iis quae in fine huius libelli ex eo decerpta speciminis gratia exhibuimus. Neque hoc damnum ullo modo ne ex schedis quidem Kellermanni resarciri poterit, nam nulla adversaria vel collectanea habuit Kellermannus, sed solida doctrina instructus memoriaeque confisus commentarios conscripsit. Inscriptiones autem ipsae, brevibus notis instructae, si e re litteraria visum fuerit, edi poterunt. Cum autem videret, permagni usus

esse Orellii inscriptionum collectionem, quam ipse quoque semper in manibus habebat, ea omnia, quae in hoc opere ad titulorum fidem potuit emendare, descripsit et ad Orellium, quem non nisi fama cognitum habuit, misit, ut iis, si occasio ferret, uteretur. Et ille, humanitatem, qualem tam saepe aliis praestitit, sibi quoque usuvenire gavisus, supplementa illa in indice scholarum Turicensium a. 1838 edidit, ut hac quoque re defuncti memoriae sacrificaret.

Hisce laboribus occupatus fuit Kellermannus, cum cholera pestis, quae totam fere Europam vastaverat, Romam quoque peteret et crudelissime vexaret. Nullo tamen timore, nullis amicorum precibus, quamquam Monachii iam monitus fuerat, persuaderi sibi passus est, ut Romam relinqueret, et Tusculi cum reliquis amicis secessum quaereret. Tanto enim aeternae urbis amore captus erat, tanta eum dulcedine vitae Romanae consuetudo vinctum tenebat, tanto studio laborum quibus assuetus erat ferebatur, ut ne imminente quidem tali periculo vel tantillum a Roma divelli posset. Ita tristissima morte occubuit, et cum ultimo Augusti die usque ad mediam fere noctem cum Abekenio suo amice confabulatus esset, vix domum reversus tanto impetu morbi correptus est, ut arte medica irrita facta, cum statim mens densa caligine oppressa esset, Calendis Septembribus ante meridiem spiritum Deo redderet. Immatura morte litteris, quas tanto studio coluit, parentibus et amicis, quos ingenuo sinceroque amore amplexus est, ereptum quis non lugeat?

Quae ipse inceperat iam morte eius interrupta erant et iacebant, quin timendum erat, ne ea quoque quae iam collegerat perirent et tot laborum studiorumque nullum servaretur vestigium. Quod cum ego, qui Romam a. 1838 perveneram, viderem, atque intelligerem, maius in dies invadere periculum, ne funditus perderentur quae

ille reliquerat, non quod me parem censerem tali operi sustinendo, sed indignum ratus, si perire sinerem quae per me litteris servari possent, et academiae Berolinensis, ut dixi, favore suscitatus quicquid ab eo relictum inveni acquisivi. Praeter bibliothecam autem epigraphicam haud contemnendam complectebatur haec hereditas magnum numerum inscriptionum e Gruteri corpore aliisque libris epigraphicis excerptarum, partim ad lapides emendatarum, et ordine dispositarum, eaque omnia tanta cura et diligentia facta, tam eleganti manu scripta sunt, ut facile videas, eum non mercenariam nec fugitivam in iis operam posuisse, sed eo amore haec egisse, qui, nisi omnia quantum fieri potest perfecta reddiderit, contentus esse nequit. Exstant etiam inscriptiones permultae ineditae, partim Kellermanni, partim amicorum studio exscriptae, quarum pleraeque nitide scriptae et in ordinem redactae sunt, aliae quales e lapide in schedas descripserat. Praeterea in libris epigraphicis plerisque omnibus permultos titulos, quos denuo descripserat, sedulo emendavit, ita ut inscriptionum, quas ex eius schedis dare possum novas vel emendatas, numerus sit satis magnus. Ea omnia autem ita comparata sunt, ut fidem iis denegare nequeas. Elaboratum tamen nihil reliquit praeter eam quam hoc libello editam vides dissertationem.

Iam si quaeris, quid de his faciendum sit, magnum illud Kellermanni opus non poterit perfici, nisi ab eo qui a natura his studiis destinatus totam iis vitam consecrare potest, isque in Italia iis vacare debebit. Deponenda est igitur spes illa, quae affulsit pulcherrima, ut nostra iam aetas gaudeat simili Latinarum inscriptionum corpore, quale a Roeckhio profectum Graecarum inscriptionum quantam antiquitatis Graecae studio utilitatem attulerit non meo eget praeconio. Interim hoc certe eloquar, ne invideat nobis Borghesius praeclara illa opera, quae elaborata habet, quaeque mirifice Romanae historiae

cognitionem promotura sunt. Quodsi Kellermanno hoc meritum negatum est, ut editionem talium operum curaret, valeat tantum apud egregium virum memoria eius, quem vivum tanto amore prosecutus est, ut quae illi daturus erat ipse edere non detrectet. Quod ad curam a me in Kellermanniania reliquiis ponendam attinet, magnum profecto nec ingratum opus susciperem, si iis quae a defuncto viro collecta sunt addere possem quaecunque post magnos thesauros edita sunt, in Italia praesertim permulta, et ita supplementum illarum edere amplissimum et maiore quam priores collectiones fide dignum. Ad tale opus autem perficiendum multa sane mihi desunt adiumenta; quamquam enim, dum in Italia versatus sum, nec operae nec sumptibus peperci, ut bibliothecae epigraphicae adderem quoscunque libros nancisci possem, et multa iam ex iis quos possideo edi possunt apud nos plane nova et incognita, multo pluribus tamen, ut credere par est, careo. Sperari tamen potest, si rationes meae patientur, et viri docti, quorum de hac re iudicium exspecto, litteris inde utilitatem proventuram putabunt, fore, ut bibliothecis publicis et privatis adiutus huic defectui quantum fieri potest medear, et rogatos velim viros doctos, qui hoc legent, extraneos praesertim, quorum libros raro tantum nanciscimur, ut si quid habeant, quo tale opus adiuvare possint, benevole id mecum communicent, ut qui gratias quantascunque agere et referre non desinam. Verum quicquid fiat de magna hac collectione, hoc certe promitto, me editurum quaecunque a Kellermanno collecta accepi, meque eam diligentiam et curam aemulaturum, quam ab ipso adhibitam fuisse scimus. Neque haec collectio magno carebit fructu: nam cum inscriptiones exhibitura sit sat multas summaque cum fide omnes exscriptas, gravissimae erit auctoritatis, et dignum erit apud posteros quoque Kellermanniani nominis monumentum. Quodsi me quoque mors exstinxerit, antequam de-

bitum meum exsolverim, curabo certe, ne iterum schedis hisce periculum immineat, sed ita bibliothecae cuidam publicae tradam, ut usurpari a viris doctis atque edi possint.

Scrib. Kiliae Kal. Sept. 1841.

Otto Jahn.

OLAI KELLERMANNI

DISSERTATIO

DE

CALENDARII CUMANI FRAGMENTO.

Pauci anni sunt, ex quo fragmentum inscriptionis, de quo dicturi sumus, Cumis effossum est, quod ab Andrea de Jorio, cuius in potestatem venerat, instituto archaeologico dono datum est (cf. Bullett. 1835 p. 152). Alia eiusdem inscriptionis fragmenta, quae una cum nostra detecta, posteaque Neapolim translata sunt, iterum deperdita sunt nec inveniri poterant, cum nostra tabula Romam asportaretur. Quod infortunium eo magis dolendum est, quo certius ex iis, quae restant, evinci potest, inscriptionem Augusti temporibus adscribendam esse, et in iis, quibus iam caremus, permulta scitu dignissima relata fuisse, censendum est; itaque vehementer optamus, ut aliquando e tenebris resurgant, quibus nunc obruta iacent, quamquam bene gnari, facile fieri posse, ut supplementa, quae nunc proponimus, tunc pro falsis agnoscenda sint. Fragmentum modo detectum publici iuris fecit senex indefessi studii Raimundus Guarini, Commentario XIV, p. 52 sqq. (Neap. 1834), qui ex lapide transscripsit; is vero tunc temporis calce magis etiam, quam nunc est, tectus fuisse videtur, ita ut haud pauca aliter poneret Guarini ac in marmore ipso leguntur. Praeterea observandum est, litteras inscriptionis nostrae minutas, et quamquam haud perfunctorie incisas ita tamen comparatas esse, ut E, F, I, L et T facillime inter se confundi possint, quod in aliis quoque inscriptionibus usuvenit. E. g. l. 5 et 6 possit aliquis EI et II legere pro ET et TI; et l. 4, 5 et 7 invenimus revera incisum VLSTAE, CALSAR et CAESARL loco VESTAE, CAESAR et CAE-

SARE; atque l. 5 in verbo SPEI videtur F incisum pro E. Is vero, qui inscriptionem exaravit, haud unum vitium commisit, quod non nisi ipsius incuriae atque negligentiae adscribere possumus, v. c. quod l. 3 et 9 SVPPICATIO legimus pro SVPPLICATIO, l. 5 SPFE scriptum est pro SPEI, et l. 6 et 8 negligenter incisum est VESTAE et ΓORTVNAE pro VESTAE et FORTVNAE. Littera A denique, ut in hoc scripturae genere solitum est, lineola transversa caret (Λ) *). Singulare vero aliquid in marmore nostro notandum est, quod in aliis inscriptionibus reperire non nisi rarissime memini, quodque spatii angustiis proprie adscribendum est. Punctum enim, quod, sic ut notum est et in hac quoque inscriptione duodevicies factum est, verbis interponi solet, vicies spatio, quod inter singula verba intercedit, suprapositum est, sexies vero omnino omissum est. Facile autem apparet, quibusdam in locis scalptorem spatio exclusum punctum superposuisse, aliis etiam inter verba poni potuisse manifestum est; hoc vero certissimum est, verbis iam incisis puncta demum addita esse a scalptore. Id quod inde quoque cognoscitur, quod per errorem scalptor l. 6 quartae litterae verbi CAESARIS punctum superposuit, quippe quia in titulis nomen illud hoc modo per compendium scribi solet, posteaquam vidit se falsum esse et integrum nomen CAESARIS exstare, errorem correcturus in

*) [Ita in inscriptione, quam publici iuris fecit Marinius (fraf. arv. p. 23):

CAELO. AETER
NO.
AELIA. COMPSE.
.P. F.
ET AELIA VICTO
RIA. GRATIVS.
D. D.

l. 5 ATILIA exhibet Marinius, correxit Kellermannus in exemplari suo, qui denuo contulit. O. I.]

fine alterum punctum posuit. Sed mittamus haec atque ipsum fragmentum accuratius consideremus.

Guarini exemplum secutus calendarium vocavi hanc inscriptionem, verum hoc non de calendario civitatis Cumanae intelligendum puto. Etenim non inveniuntur, quae in calendariis publicis vix possunt desiderari, in quibus omnes dies totius anni enumerari solent, ita ut una cum siglis nundinalibus et rerum historicarum et sacrarum notitia adiciatur. Equidem calendarium privatum fuisse credo; teneo autem non pertinuisse ad Augustales, qui teste Tacito (Ann. I, 54) aliisque scriptoribus post mortem Augusti demum instituti sunt, cum inscriptio nostra, ut postea videbimus, indicia praebeat satis certa, unde concludi possit, eam vivo Augusto factam esse. Fuit autem, si quid video, calendarium sacerdotis Romae et Augusti. Suetonius (Aug. 52) enim narrat, Augustum, quamvis sciret, templa etiam proconsulibus decerni solere, in nulla tamen provincia nisi communi suo Romaeque nomine accepisse, in urbe autem pertinacissime abstinuisse hoc honore; quod cum Dio Cassius (LI, 20) ita augeat, ut eum ne in Italia quidem hunc honorem accepisse dicat, aperte falsus est. Contradicunt enim monumenta, quae ad nos pervenerunt, fide dignissima. Inter haec est cenotaphium Pisanum, eidem tempori adscribendum, cui hoc calendarium, in quo commemoratur flamen Augustalis, et inscriptio Praenestina apud Fogginium (Fasti Verr. p. XIV), in qua habes

CN. PONTIVS. RVSTICVS. FLAMEN.
CAESARIS. AVGVSTI.

Nihil igitur obstat, quin hoc sacerdotium, quod Lugduni inde ab a. 742 institutum fuisse scimus (Eckhel D. N. VI p. 136 *), aliisque locis serius fuit,

*) [Cf. Heinrich. ad Iuv. I, 44.]

etiam Cumis quindecim aut viginti annis postea institutum fuisse putemus, praesertim cum Cumis Sibylla quondam vaticinia sua famosa edidisse ferretur, quae de Augusti familia interpretari non dubitavit Virgilius. Praeterquam quod festa, quae in hoc calendario commemorantur coniecturae nostrae favent, fortius quoque argumentum, quod sacerdotis Romae et Augusti olim fuisse demonstret, inveniemus, ubi initium inscriptionis explicabitur.

Compositam eam esse vivo Augusto, ut cetera omnia omittamus, vel hoc argumento probatur, quod, si post eius mortem facta fuisset, nullo modo omitti potuisset XV Kal. Octobr. Q. E. D. DIVO. AVGVSTO. HONORES. CAELESTES. A. SENATV. DECRETI, sicut legimus in calendario Amiternino, cum hic dies praeter ceteros honori eius consecratus fuerit. Etiam XIV Cal. Sept. non inveniremus adscriptum primum Augusti consulatum, verum, ut in ceteris calendariis mortuo Augusto compositis, notatum potius fuisset: DIES. TRISTISSIMA, cum ex Dione (LVI, 30) aliisque scriptoribus constet, eodem die mortuum esse Augustum, quo primum consulatum adeptus est. Quae in hoc fragmento commemorantur res gestae, referendae sunt ad a. 691 usque ad a. 745 u. c.; at cum Augusti filius l. 6 Tiberius Caesar nominetur, non possumus, quin paullo ulterius progrediamur. Scriptorum enim et monumentorum fide extra dubium positum est, Tiberium antequam ab Augusto adoptatus fuerit, semper nominatum fuisse Ti. Claudium Neronem, V Cal. Iul. a. 757 demum nomen Ti. Caesaris assumsisse, unde sequitur, inscriptionem nostram postea demum incisam esse. Porro cum ad explicandam l. 9 progressi erimus, apparebit fragmento huic non posse tempus ascribi, quod mensem Ianuarium a. 765 excedat, et iure videmur nobis colligere, intra horum annorum spatium compositam esse inscriptionem.

Inter lapides litteratos, qui nobis servati sunt, non desunt exempla, quae, etiamsi nostro calendario non prorsus similia sint, tamen dies festos annotatos habent, qui a coloniis domus Augustae honori consecrati fuerunt. In celeberrima ara Narbonensi, quam post Gruterum (229, 1) aliosque, quos enumerat Millinus (voyage dans les dép. du midi de la France IV p. 375), edidit Orellius (2489), in qua Narbonenses se numini Augusti in perpetuum colendo obligaverunt, dies, quibus tres equites et tres libertini hostias immolent et colonis et incolis ad supplicandum numini eius thus et vinum praestent, hi notati sunt: VIIII Kal. Octobr., qua die natus erat Augustus, tum VIII Kal. Oct., Kal. Ian., et VII Id. Ian., qua die primum imperium orbis terrarum auspicatus est, denique pridie Kal. Iun., quod ea die iudicia plebis decurionibus coniunxit. In altera quadam ara Florentina (Grut. 228, 8. Gori, Inscrr. Etr. I, 316, 64. Orelli, 686) diem natalem Augusti atque Tiberii consecratum videmus cultui numinis eorum, nec minus Augustae Liviae natalem, et VI Idus Mart., qua die Ti. Caesar pontifex maximus creatus est, mulsum et crustula in honorem eius diei populo danda esse praescribitur.

His praemissis iam ad singula accuratius consideranda accedam, si id unum monuero ex iis locis, quibus melius conservata est inscriptio, luce clarius apparere, ea, quae certo tempori assignari possunt, ita enumerari, ut mensium ordo servetur, unde sequitur, in iis, quae iam coniectura restituenda et explenda sunt, eundem ordinem esse tenendum.

Lin. 1. XIIII Kal. Sept. q. e. d. Caes. pri-MVM. CONSVLATVM. IN iit. supplicatio Iovi.

Cum ea, quae lin. 2. 3 commemorantur, ad mensem Septembrem spectent, consulatus, cuius in hac linea mentio fit, anteriori tempori adscribendus est. Edoce-

mur autem a diversis scriptoribus (v. Macrob. Sat. I, 12. Dio Cass. LV, 6. LVI, 30. Tac. Ann. I, 9), Augustum primum consulatum iniisse viginti annos natum XIV Kal. Sept., eodem die, quo post quinquaginta septem annos vita defunctus est. Quamquam enim Velleius Paterculus (II, 65) refert, iniisse eum, pridie quam viginti annos impleret, X Kal. Octobres consulatum, quod calculo suo comprobavit Gronov. ad Liv. epit. CXIX, tamen erroris eum convincunt consensus reliquorum scriptorum, atque inprimis Senatusconsulti, quod affert Macrobius, auctoritas gravissima, uti intellexerunt Viri docti (cf. Lips. ad Tac. l. l. Noris. Cenot. Pis. diss. II, 2 p. 102), quibus iam lapidis nostri testimonium addere possumus. Nam lin. 2 ad diem pertinet, qui posterior est III Non. Sept., lin. 3 vero IX Kal. Oct. commemoratur; quare si Velleium secuti lin. 1 ad X Kal. Oct. referremus, non haberemus diem, ad quem pertinuisse lin. 2 censeremus, et ponere coacti essemus, eundem diem diversas ob causas bis notatum fuisse, id quod neque in hoc marmore neque in ceteris eiusdem generis monumentis observatum est. Eo igitur omnia ducunt, ut XIV Kal. Oct. recte suppletum iudicemus. Facile vero in animum inducor, ut credam, integrum quoque monumentum ab hoc die incepisse festorum catalogum, ceteri enim dies, unde principium sumi potuit, ut accuratius inscriptionem consideranti patebit, excluduntur. Nam primus anni dies, a quo incipere solent calendaria, l. 9 commemoratur, Augusti vero diem natalem, qui in aris Florentina et Narbonensi primus est, l. 3 notatum invenies. Diem primi consulatus principium huius calendarii fuisse, non melius puto explicari posse, quam si ponimus, ut supra iam indicavi, fuisse id sacerdotis Romae et Augusti, cui soli convenit annum suum incipere ab eo mense, qui Augusto ex SCto sacratus fuit (Macrob. Sat. I, 12);

diem vero hunc elegit, quia eo imperium accepisse putabatur (Tac. Ann. I, 9 cf. dial. de orat. 17). Quamvis concedendum sit a sacerdote Romae et Augusti etiam Palilia initio calendarii apte poni potuisse, tamen dispositione linearum certissime probari potest, inscriptionem nostram inde haudquaquam initium sumsisse. Calendarium enim integrum duabus scriptum fuit columnis, quarum altera superstes est, quae undecim lineis menses inde ab Augusto usque ad Ianuarium continet, altera igitur, quae perdita est, sex reliqui menses perscripti fuerunt. Haec vero columna nostram aut praecedere potuit, aut sequi. Quodsi illud sumas, sequeretur inde, annum incepisse a mense Februario, cuius rei cum non possit inveniri ulla causa, praeferenda est altera sententia, nostram columnam fuisse priorem, qua accepta optime omnia quadrant.

Q. e. d. quod ea die. Hanc formulam elegi, quia vel his siglis vel plene scripta omnium frequentissima in calendariis est, ubi causa additur, ob quam hic vel ille dies celebrari debeat. Solet quidem in iis formulam hanc praecedere indicatio sollemnitatis, cuius ratio additur, quae in hac inscriptione in fine commemoratur; verum haec loquendi ratio, ut formula q. e. d. statim diei notam sequatur, non est tamen sine exemplo; e. g. in ara Narbonensi;

PRIDIE. K. IVNIAS. QVOD. EA. DIE. IVDICIA. PLEBIS. DECVRIONIBVS. CONIVNXIT. HOSTIAS. SINGVL. INMOLENT. etc.

Alia formula QUA. DIE, quae bis in ara Narbonensi, et semel in Florentina legitur, non potest locum habere in nostra inscriptione, quia ab usu calendariorum plane aliena est. Ceterum uti potuissem formula HOC. DIE vel H. D., quae in calendario Maffeiano invenitur, nisi notum esset, eam in hoc solo monumento legi, quare neque in tribus diebus nataliciis huius in-

scriptionis eam usurpare volui, quamvis in illo scriptum sit: H. D. AVGVSTI. NATALIS. LVDI. CIRC. Non magis secutus sum calendarium Pincianum, quod habet: LVD. EX. S. C. QVOD. IS. DIES. NATALIS. EST, quia verbum est a nostra inscriptione abest. Praetuli igitur in his supplementis diei notatae simpliciter addere v. NATALIS sine ulla coniunctione, quod in calendariis saepissime invenitur.

In fine h. l. supplevi supplicatio Iovi, quia l. 9 pro primo consulatu supplicatio Iovi praescribitur; eademque festa iisdem de causis institui, docent ll. 4. 6, ubi supplicatio Vestae diebus nataliciis notatur.

l. 2. . . . . q. e. d. exerCITVS. LEPIDI. TRADIDIT. SE. CAESARI. SVPPLIcAtio.

Litterae, initio h. l. servatae, non dubium faciunt supplementum, quod cum testimoniis veterum scriptorum, qui tradunt, Lepidum a. u. c. 718, a. Chr. 36 ab Augusto exercitu esse spoliatum (cf. Dio Cass. XLIX, 12 Appian. B. C. V, 122 sqq. Vell. Pat. II, 80) optime quadrat. Hoc dolo quodam assecutum esse Augustum e Taciti verbis licet concludere, qui dicit, Lepidum specie amicitiae ab eo deceptum esse (Ann. I, 10), tempus vero huius traditionis ope Suetonii accuratius definiri potest. Narrat enim (Aug. 16), Augustum post S. Pompeii fugam collegarum alterum M. Lepidum, quem ex Africa in auxilium evocaverat, superbientem XX legionum fiducia, summasque sibi partes terrore ac minis vindicantem, spoliasse exercitu supplicemque concessa vita Circeios in perpetuum relegasse. Edocemur autem calendario Amiternino, Sextum Pompeium fugatum esse III Non. Sept.; quamquam enim huic diei in calendario isto nomina consulum Censorini et Calvisii adduntur, qui anni 715 sunt, manifesto, uti rectissime notavit Eckhel (D. N. VI p. 72), errore, cum proelium illud sine dubio a 718 commissum

sit, tamen diem recte annotatum esse, non est quod dubites. Iam nostra inscriptione paullo accuratius, quam antea fieri potuit, tempus, quo Lepidus Augusto exercitum tradiderit, definiri poterit. Nam linea seq. commemoratur Augusti dies natalis, IX Kal. Oct., inter hunc diem igitur et III Non. Sept. Lepidum exercitu spoliatum esse, necessario est statuendum.

l. 3: VIIII Kal. Oct. n ATALIS. CAESARIS. IMMOLATIO. CAESARI. HOSTIA. SVPPLICATIO. Vestae.

De hoc die nulla existere potest dubitatio; nam praeter aras supra iam memoratas Narbonensem atque Florentinam, triaque calendaria, multi veterum historicorum loci unanimi consensu testantur, natum esse Augustum IX Kal. Oct. a. 691 a. u. c. (cf. etiam Marini frat. Arv. p. 387).

Immolatio. Varrone teste (apud schol. Horat. Sat. II, 3, 164 cf. Serv. ad Virg. Aen. IV, 57), hostiae tangebantur mola salsa et tunc immolatae dicebantur, cum vero ictae erant, et aliquid ex iis in aram datum erat, mactatae, ut Cato dixit (apud Serv. ad Virg. Aen. X, 541), boves immolatos, priusquam caederentur, profugisse in Siciliam. Notissimum tamen, hoc verbum in universum de sacrificio usurpari.

Supplicatio instituebatur ob rem publicam bene gestam grati animi erga Deos testificandi aut malorum averruncandorum causa. Decernebatur autem publice a Senatu et in omnibus templis Romae agebatur, cuius maxime inter omnes venerandae apud Romanos solemnitatis saepissime apud historicos mentio est; aut collegio vel civitati cuidam, ut in hoc marmore, praescripta erat, et in unius tantum numinis templo celebrabatur. Supplicationibus illis magnis coenae adiungebantur et lectisternia, unde saepissime legimus, supplicationem decretam esse ad omnia pulvinaria e. g. Liv. XXII, 1.

XXX, 21. XXXI, 9. Cic. Cat. III, 10, 23. Tac. Ann. XIV, 12. Verum iis quoque, quae non publice celebrabantur, coenas esse adiectas docent arae, quas saepius iam laudavi. Ita enim Florentina: VICTIMAE QVAE INMOLARI ADSVETAE SVNT AD ARAM QVAE NVMINI AVGVSTO DEDIC. EST VIIII ET VIII K. OCTOBR INMOLENTVR. ITEM NATALI TI CAESARIS PERPETVE ACTVRI DECVRIONES ET POPVLVS CENARENT — — ET VT NATALIBVS AVGVSTI ET TI. CAESARVM PRIVSQVAM AD VESCENDVM DECVRIONES IRENT THVRE ET VINO GENII EORVM AD EPVLANDVM ARA NVMINIS AVGVSTI INVITARENTVR. Hanc invitationem, quae thure et vino fiebat, partem fuisse supplicationis clarissime deduci potest e verbis arae Narbonensis: PLEBS NARBONENSIVM ARAM NARBONE IN FORO POSVIT AD QVAM QVOTANNIS VIIII. K. OCTOBR. — TRES EQVITES ROMANI A PLEBE ET TRES LIBERTINI HOSTIAS SINGVLAS INMOLENT ET COLONIS INCOLIS AD SVPPLICANDVM NVMINI EIVS THVS ET VINVM DE SVO EA PRAESTENT — VII QVOQ. IDVS IANVAR — THVRE VINO SVPPLICENT ET HOSTIAS SINGVL INMOLENT ET COLONIS INCOLISQVE THVS VINVM EA DIE PRAESTENT ET PRIDIE K. IVNIAS — HOSTIAS SINGVL INMOLENT ET THVS ET VINVM AD SVPPLICANDVM NVMINI EIVS COLONIS ET INCOLIS PRAESTENT.

In fine h. l. supplendum putavi Vestae, quia l. 4 et 6, ob alterum diem natalicium eidem deae supplicatio decernitur, sub cuius tutela familia posita fuit.

l. 4... DRVSI. CAESARIS. NATALIS. SVPPLICATIO. VESTAE.

Inter varios Drusos e familia Augusta, quorum notitiam habemus, hic propter aetatem non possunt in censum venire nisi Drusus maior, Tiberii frater, eiusque filius. Prior vero eam ob rem non potest intelligi, quia Caesaris titulum nunquam adeptus est, uti demonstravit Eckhelius (D. N. VI p. 205 sq.). Non potest igitur fieri, quin hic habeamus Neronem Claudium Ti. f. Drusum, ut in inscriptione Graeca vocatur (Chandler, p. 52 n. XV), e Vipsania Agrippina natum. Dies, quo natus sit, non potest definiri, cum nec in monumentis, nec apud scriptores, quantum scio, mentio eius facta sit, iam vero id certe lucrati sumus, inter XXIV dies, qui inter IX. K. Oct. et XV K. Nov. intercedunt, eum ponendum esse.

l. 5. XV Kal. Nov. quod eo d IE. CAESAR. TOGAM. VIRILEM. SVMPSIT. SVPPLICATIO. SPEI. ET. IVVE ntuti.

Suetonio auctore (Aug. 8) Augustus duodecimum annum agens aviam pro concione laudavit, quadriennio post virili toga sumpta militaribus donis donatus est. Diem nobis indicavit Calendarium Antiatinum, sicut suppletum est, XV Kal. Nov. a. 706 a. u. c., cum Augustus XV annos et XXIV dies natus esset. Rectissime igitur Norisius (Cenot. Pis. II, c. 4 p. 115), qui calendarii Antiatini anno 1713 demum detecti testimonio uti nondum potuit, auctoritatem Suetonii contra Henr. Valesium defendit, qui Nicolaum Damascenum (de vita Aug. 4 p. 477), Augusti coaevum, secutus Augustum anno aetatis XIV togam virilem sumsisse putavit.

Spei et Iuventuti. Facile potest intelligi, cur virilem aetatem ingredienti haec numina inprimis colenda viderentur; revera hoc ipso tempore haud parvam spem pro tota iuvenis vita nutriverunt, cui salutem

vigoremque, ad omnia, quibus iam se accinxit, felici cum successu perpetranda optarunt. Ceterum haec duo numina Romae cultu satis antiquo prosequebantur, et templa haud pauca iis consecrata erant; Spei templum Livius commemorat a. u. c. 535 (XXI, 62.), Iuventutem deam notum est cum deo Termino restitisse Tarquinio Superbo, cum deos Capitolinos in novum templum transportare vellet, quod e manubiis captarum urbium aedificaverat, et antiquo loco remansisse, summo Romanorum gaudio, siquidem haec contumacia numinum firma omnia et aeterna pollicebatur (Flor. I, 7). Cum tria nomina inveniantur Iuventus, Iuventas, et Iuventa, non potest demonstrari, quomodo ultimae k. l. litterae explendae sint. Discrimen enim, quod inter ea statuunt grammatici e. g. Nonius V, 42, revera non observari, dudum annotatum est, neque id verum est, quod contra Munckerum (ad Hygin. fab. p. 10) cum Gronovio (ad Liv. XXXVI, 36) et Duckero (ad Flor. I, 7) contenderunt alii, Iuventutem nunquam dici deam. Quae res cum ex codicum auctoritate vix possit diiudicari, vel una inscriptio apud Orellium n. 2213, quae habet FLAMINIS IVVENTVTIS hanc litem dirimit.

l. 6. XVI Kal. Dec. nata LIS. TI. CAESARIS. SVPPLICATIO. VESTAE.

Suetonius (Tib. 5), Tacitus (Ann. VI, 50), Dio Cassius (LVIII, 28) et calendarium Antiatinum de Tiberii die natali consentiunt, ut a nobis suppletum est, XVI Kal. Dec. a. u. c. 712.

l. 7. 8. XVIII Kal. Ian. q. e. d. arA. FORTVNAE. REDVCIS. DEDICATAST. QVAE. CAESARE. AVg. ex Asia urbem intrante. instituta. fuit. SVPPLICATIO. FORTVNAE. REDVCI.

Praecedentibus ll. 3, 5, 2, quae ad a. 691. 706. 718 pertinent, Imperator Caesaris tantum nomine nominatur. H. l. primum Augusti titulus ei tribuitur, unde iure concluditur, spectari hic rem post a. 727 gestam, quo anno publice hunc titulum recepit. Quo maiore cum fiducia supplementum proposui e calendario Amiternino desumtum, in quo legimus ad XVIII. Kal. Ian. ARA. FORTVNAE. REDVCI. DEDIC. EST. Referenda est haec dedicatio ad a. u. c. 735, quo Augustus ex Asia redux, honorum, quos ei decrevit senatus, partem recepit, in his consecrationem quoque arae Fortunae Reducis (Dio C. LIV, 10). Eodem calendario edocemur, duos ante menses, IV Id. Oct. hanc aram esse constitutam, cum ad illum diem notatum inveniamus: FER. EX. S. C. Q. E. D. IMP. CAES. AVG. EX. TRANSMARIN. PROVINC. VRBEM. INTRAVIT. ARAQ. FORT. REDVCI. CONSTIT. Iniuria enim statuit Fogginius (Fasti Verrii Flacci p. 136), diversas esse has duas aras, ultimamque ad soles spectare Amiterninos. Discrimen, quod inter constitutionem et dedicationem eiusdem arae intercedit, cum per se pateat, tum clarum fit luculentissimo exemplo arae Pacis, de qua calendarium Antiatinum et Amiternium haec habent ad IV Non. Iul.: Q. E. D. ARA. PACIS. AVG. IN. CAMP. MAR. CONSTITVTA. EST. NERONE. ET. VARO. COS. (a. 741), in calendario Praenestino autem legimus ad III Kal. Febr.: QUod. eo. DIE. ARA. PACIS. AVGVSTAE in. campo. MARTIO. DEDICATA. e ST. DRUSO. ET. CRISPINO. cos. (a. 745). Neque vero dubito, quin alterum exemplum haberemus in cal. Capranicorum et Amiternino ubi ad V Id. Aug. haec leguntur: QUOD. EO. DIE. ARAE. CERERI. MATRI. ET. OPI. AVGVSTAE. EX. VOTO. SVSCEPTO. CONSTITVTAE. SUNT. CRE-

TICO. ET. LONG. COS., nisi magna harum tabularum pars perdita esset. Cum in nostro calendario tantum l. 5 et fortasse l. 4 quoque ad mensem Oct. referenda sit, inde sequitur, unum dedicationis festum Cumis celebratum fuisse, quare hoc supplementum, quod amborum mentionem facit, potius posui, quam quod prius in mentem mihi venit: AVg. in Asiam. proficiscente. vota. erat. Quod si reciperes, coniectura capienda esset de voto ante profectionem suscepto, cuius non solum nullum in nummorum inscriptionibus vestigium exstat, quae hanc aram monstrant (Eckhel D. N. VI p. 100), verum etiam iis, quae Dio Cassius (LIV, 10) narrat, excludi videtur.

l. 9. Kal. Ian. q. e. d. Tiberius Caesar PRIMVM. FASCES. SVMPSIT. SVPPLICATIO. IOVI.

Persuasum mihi est, hoc modo h. l. esse supplendam, quia eo tempore, quo haec inscriptio lapidi incisa est, nemo fuit e familia Augusti praeter Tiberium, qui Kal. Ian. fasces sumserit, cum Augustus ipse XIV Kal. Sept. sumsisset. Ceteri vero, quorum vita in idem tempus incidit, aut omnino non fuerunt consules, ut Marcellus et L. Caesar, aut postea demum consulatum adepti sunt, ut Drusus iunior a. 768. Facile autem intelligimus, in festis huius generis, quae in honorem familiae Augustae instituebantur, mortuorum nullam haberi rationem. Quare nec Divi Iulii mentio fit, nec Drusi maioris a. 745, neque C. Caesaris a. 757 mortui, neque cuiusquam ex Agrippae familia, quae tunc temporis partim exstincta, partim male apud Augustum accepta erat. Difficile tamen esset rationem reddere, quare Germanicum non inveniamus, qui a. 765 consul fuit, et cur non potius scriptum sit: quo die Ti. et Germanicus Caesares primum fasces sumpserunt. Et haec ipsa causa est, quare, ut supra

iam indicavi, calendarium nostrum, sicut post a. 757 factum est, ita ante a. 765 ortum credam. Primus Tiberii consulatus a. 741 fuit, et cum consul esset ordinarius, Kal. Ian. solito more consulatum iniit.

l. 10. XVII Kal. Feb. q. e. d. Caesar. AugustuS. APPELLATVS. EST. SVPPLICATIO. AVgusti numini.

Hoc supplementum praeter temporum ordinem etiam reliquiae v. AVgusti commendarunt, cum numina quibus festa celebrantur, ut par est, necessitudine quadam coniuncta esse soleant cum ea re, ob quam instituuntur festa. Suetonius (Aug. 7), Dio Cassius (LIII, 16), Velleius (II, 91) et Censorinus (de die nat. 21) consentiunt, a. u. c. 727 Octavianum nominatum fuisse Augustum, de die inter scriptores quaedam est dissensio. Orosius enim (VI, 20) VIII Id. Ian. nominat, Ovidius (Fast. I, 587) ipsas Id. Ian., dum Censorinus XVI Kal. Febr., calendarium vero Praenestinum XVII Kal. Febr. habet. Hanc discordiam optime composuit Fabricius (ad Dion. C. l. l.). Sicut enim vidimus, ab aliis celebratum esse diem victoriae a Sex. Pompeio reportatae, ab aliis exercitus a Lepido traditi, quae ad unam eandemque rem spectarunt, ita mense Ianuario a. 727 compluria facta sunt, unde huius festi origo deduci potuit. Primum Octavianus, qui administrationem reip. depositurum se fingebat, precibus ab hoc consilio se demoveri passus est, ita ut senatus ei soli rempublicam administrandam concederet (Dio C. LIII, 11). Tum ille provinciarum partem aliquam populo restituit (ib. c. 12), PRO. QVO. MEO. MERITO, ut ipse ait in monumento Ancyrano, de sententia Munatii Planci, nomen Augusti ei datum est (ib. c. 16). Ad factum illud, quod primo loco posuimus, ara Narbonensis spectat his vv.: VII. ID. IANVAR. QVA. DIE. PRIMVM. IMPERIVM. ORBIS. TERRARVM.

AVSPICATVS. EST., quae Millinus inconsiderate ad a. 725 retulit, cum dies neutiquam quadret, immo XVI. KAL. ponendum fuisset. Nec magis recte Fogginius hoc ad a. 711 referebat, cum in calendario Praenestino ita suppleret: IMP. CAESAR. AVGVST. imperium orbis terrarum auspicatur HIRTIO. ET. PANSA. cos. Tiberius. Caesar. VII. VIR. EPVL. CREATVS. Ex accuratiore enim huius calendarii editione, quam a. 1826 curavit Nibby, apparet, lacunam multo maiorem supposuisse Fogginium, quam revera est, et illo loco nihil aliud contineri, nisi hoc: IMP. CAESAR. AVGVSTVs HIRTIO. ET. PANSA. cos. VII. VIR. EPVL. CREATVS. est; id quod numorum ope Borghesius quoque demonstravit. Ovidius vero, qui Idus nominavit, aperte diem in animo habuit, quo populo provinciae redditae sunt, quod ipsa eius verba demonstrant: Idibus —

Redditaque est omnis populo provincia nostro,

cuius rei cetera consectanea demum erant. Diem, quo Octavianus nomen Augusti recepit, revera igitur Verrius tantum atque Censorinus nominant, quorum ille tamen XVII Kal. Febr., hic XVI Kal. Febr. habeat. Quare haud a veritate abhorrere videatur, Censorinum corruptum et notam numeralem ibi addendam *) esse. Sed si verum est, quod affirmat Dio Cassius, hunc honorem decretum esse a senatu populoque Romano, nondum enim abrogata erant comitia, fortasse ita explicari possit haec differentia, ut XVII Kal. Febr. senatusconsultum, XVI Kal. Febr. vero plebiscitum factum esse putemus. Utut est, nemo certe dubitabit, auctori-

*) [Haec emendatio eo facilior est, cum in cod. olim Coloniensi nunc Darmstadiensi, omnium antiquissimo, quem accuratissime collatum habeo, scriptum sit XVI notis numeralibus, non, ut nunc legimus: sextum decimum. O. I.]

tatem Verrii Flacci, qui temporibus Augusti vixit, Censorini praeferre.

Supplicatio numini eius desumtum est ex ara Narbonensi, ubi bis legitur: SVPPLICANDVM. NVMINI. EIVS.

l. 11. III. Kal. Febr. q. e. d. ara Pacis. Aug. dedic. EST. SVPPLICATIO. IMPER atoris Genio. et. Paci.

Sicut l. 10 litterae, quae de v. Augusti restant, docent initio quoque de nomine Augusti sermonem fuisse, ita hic quoque litterae IMPER... indicare videntur, h. l. spectare ad rem aliquam cum imperatore aut imperio arcte coniunctam. Primum igitur putavi, locum hic habere vv. ex ara Narbonensi iam laudata: VII. ID. IAN. QVA. DIE. IMPERIVM. ORBIS. TERRARVM. AVSPICATVS. EST, sed tum l. 10 sequendus foret Orosius, scriptor ob negligentiam socordiamque turpem iure ab omnibus contemtus. Tamen potuisset hic commemorari nomen imperatoris, quod Augustus XVI Kal. Mai. a. u. c. 725 recepit (Dio C. LII, 41. Ovid. Fast. IV, 675). Verum cetera calendaria docent, fuisse hoc temporis intervallo minimum tria festa, quae silentio praeterire nefas fuisset. Haec sunt dedicatio arae pacis Augustae III Kal. Febr., titulus patris patriae Augusto concessus Non. Febr., denique III Non. Mart., quo die tertium pontifex maximus creatus est. Praeterea alia fortasse erant, de quibus nunc non accurate constat, e. g. Liviae et Germanici dies natalis. Cum igitur renuntiandum esset sententiae, de imperatore vel imperio hic tractari, supplementum proposui, quod mihi suggessit Borghesius, quia hoc festum revera sequebatur diem, quo titulum Augusti recepit Octavianus; tum quia spatium, quod relicuum est, si comparaveris lineam antecedentem, optime ita suppletur; denique quod, cum dedicatio arae Fortunae

commemorata sit, verisimillimum est, etiam huius arae dedicationem non esse praetermissam, praesertim cum ea, quantum ex Ovidii verbis colligi potest, ad Actiacam victoriam relata sit. Nec obstant vv. SVPPLICATIO. IMPER . . . nam Ovidius quoque hoc die non solum de Pace loquitur, sed praeterea sacerdotibus praecipit (Fast. I, 721 sqq.):

Utque domus, quae praestat eam, cum Pace perennet,
Ad pia propensos vota rogate Deos.

Itaque potuit festum hoc dedicari Imperatoris Genio et Paci aut Imperii Dis custodibus et Paci, vel simili ratione.

Hucusque procedere potui cum securitate quadam verisimilia certe inveniendi, verum quae iam sequuntur litterarum reliquiae interpretem desperare iubent. Fortasse possit aliquis suspicari litteras . . XIM . . . spectare ad pontifex MAXimus, praesertim cum Augustus III Non. Mart. pontifex maximus factus sit. Tum ponendum esset, spatium quod vacuum mansit, pertinere ad praecedentem lineam, ita ut supplicatio compluribus diis decreta sit, quorum nomina cum una linea scribi non potuerint, altera fuisse continuata. Mihi tamen hoc spatium vacuum demonstrare potius videtur, lineas inferiores non fuisse coniunctas cum superioribus, calendarium, ut supra iam dixi, duabus columnis scriptum fuisse, quarum altera perdita sit. Eidem autem lapidi, ut in calendario Antiatino, aliae quoque res inscriptae erant, quas nunc ut res se habent divinare non possumus.

INSCRIPTIO SUPPLETA ET CORRECTA.

1. *XIIII. Kal. Sept. q. e. d. Caesar. pri*MVM. CONSVLATVM. IN*iit. supplicatio. Iovi.*
2. . . . . *q. e. d. exer*CITVS. LEPIDI. TRADIDIT. SE. CAESARI. SVPPLI*c*A*tio* . . .
3. *VIIII. Kal. Oct. n*ATALIS. CAESARIS. IMMOLATIO. CAESARI. HOSTIA. SVPP*l*ICATIO. *Vestae.*
4. . . . . *D*RVSI. CAESARIS. NATALIS. SVPPLICATIO. VESTAE.
5. *XV. Kal. Nov. quod. eo. di*E. CAESAR. TOGAM. VIRILEM. SVMPSIT. SVPPLICATIO. SPEI. ET. IVVE*ntuti.*
6. *XVI. Kal. Dec. nata*LIS. TI. CAESARIS. SVPPLICATIO. VESTAE.
7. *XVIII. Kal. Ian. q. e. d. ar*A. FORTVNAE. REDVCIS. DEDICATAST. QVAE. CAESARE. AV*g. ex. Asia. urbem.*
8. *intrante. constituta. fuit.* SVPPLICATIO. FORTVNAE. REDVCI.
9. *Kal. Ian. q. e. d. Tiberius. Caesar.* PRIMVM. FASCES. SVMPSIT. SVPP*l*ICATIO. IOVI.
10. *XVII. Kal. Feb. q. e. d. Caesar. Augustu*S. APPELLATVS. EST. SVPPLICATIO. AV*gusti. numini.*
11. *III. Kal. Feb. q. e. d. ara Pacis. Aug. dedic.* EST. SVPPLICATIO. IMPER*atoris. Genio. et. Paci.*

12. IM.
13. XIM.

APPENDIX

INSCRIPTIONUM

LATINARUM.

I. INSCRIPTIONES CAMPANIANAE.

A. INSCRIPTIONES COLUMBARII MINORIS.

1 (7).

CN. POMPONII
HYLAE
POMPONIAE. CN. L
VITALINIS

2 (8).

[Supra aediculam litteris minutis]

T. AELIO. AVG. LIB.
AGATHOPO. PROC. XX.
HEREDIT. SVLPICIA
THALLVSA. CONIVGI
BENEMERENTI. ET
HEREDES
FECERUNT

3 (8).

DIS. MANIBVS
M. LICINI. FAVSTI
V. ANN. III
M. V. D. XI
ARRVNTIA. SABINA. D. S. P.

4 (9).

[In aedicula]

V. CN. OCTAVIVS	OCTAVIA
CN. L. ZETHVS	CN. L.
SIBI. ET SVIS.	PITHANE.

5 (11).

[In urnula parva, quae plumbeo operculo tecta erat]

TI. CLAVDIVS
TI. F. QVIR
PROCLVS. V. A. VI.

6 (12).

L. LICINIO
NICEPHORO. V. A. XXC.
ANICETVS. ET. FAVSTVS
PATRONO. B. M. F.

7 (12).

[In basi aediculae, quae media est]

Q. GRANIVS. NESTOR. FECIT
SIBI.ET.VINILEIAE.HEDONE
CONIVGI. B. M.

8 (13).

[In dextra hemicyclii parte]

PAEZVSAE. OCTAVIAE.
CAESARIS. AVGVSTI. F.
ORNATRICI
VIX. ANN. XVIII.

9.

PHILETVS. OCTAVIAE.
CAESARIS. AVGVSTI. F.
AB. ARGENTO. FECIT
CONTVBERNALI. SVAE
CARISSIMAE. ET. SIBI.

10 (20).

[Titulus]

LARCIA	LARCIA
AVCTA	LVCIFERA.

11 (21).

CELADIO. TI. CAESARIS. AVG.
SER. VNCTOR. GERMANICIAN
PVDENS. TI. CAESARIS. AVG.
PEDISEQVS

12 (21).

DIS. MANIBVS
Q. CAECILIO. PHOEBO
FECERVNT. CAECILIA
SABBATHIS. ET. CAECILIA.
GNOME. ET. CAECILIA. PHOEBE
PATRONO. SVO. BENEMERENTI.

13 (21).

L. CAECILI
SOSI

14 (21).

C. MAECIO. STRATONI
C. MAECIVS. GALLVS
PATRONO. B. M. FECIT.

15 (25).

[In supremo aediculae loculo]

SERVILIA. M. P. L.
PLVTIAS.

M. VIBIVS. M. L.
FELIX.

16 (31).

[In cippo in vicinitate invento]

CN. MANLI. CN.
L. NASTAE. IN.
AGRVM. PED. XII.
LAT. III. VIA.
PRIVATA. INTER
P. RVTILIVM.

17 (32).

[In urna in vicino loco reperta]

DIS. MANIBVS
C. POPILIVS. PRVDENS. SIBI
ET. POPILIAE. FORTVNATAE. F. SVAE.

18 (32).

[In altera urna ibidem inventa]

ORATO. PVB. FABIANO
AB. OPERA. PVBLICA
FOLIA. TROPHIME. CONIV.
BENEMERENTI. FECIT
V. A. LXV.

19 (32).

[Urna]

C. FOLIO.
SYNTROPHO
VIX. ANN. LXII.
C. FOLIVS
ELAINVS
PATRONO. BENE
MERENTI. FECIT.

20.

[In ara sepulcrali]

AVFIDIA. L. F. SATVRNINA
VIXIT. ANNIS. XXX
C. IVLIVS. C. F. CELER
CONIVGI. CARISSIMAE
FECIT
A. QVA. ACCEPIT. INIVRIAM
NVLLAM
NEQVE. MALDICTV.

21 (54).

[In ruinis sepulcrorum, quae adiacent, reperta]

C. CAVSINIVS. SCOLAE. L. SPINTER.
IN. HAC. SOCIETATE. PRIMVS. CVR*ator*
FACTVS. EST. ET
HOC. MONVMENTVM. EDIFICANDVM
EXPOLIEND
CVRAVIT. SOCISQ. PROBAVIT
HABET. PARTES. VIRILES. IIII. OLL. XX.
CAMPIA. LL. CASSANDRA
CAVSINIO. SIBI. ET. SVIS.

22 (69).

[E regione magni columbarii reperta]

C. VIBIVS. FIRMVS. C.
VIBIO. AMPLIATO. PATRONO
SVO. BENEM. TITVLVM
POSVIT. QVOD. IVSSIT. ET. RO
GAVIT. CVM. PATRONA. SVA
PONI. ITA. FACTVM. EST.

23 (66).

[In vicinitate magni columbarii reperta, sicut sequentes]

EGO. SVM. L. LVTATIVS. PACCIVS
THVRARIVS. DE. FAMILIA
REGE. MITHREDATIS.

24 (67).

L. LVTATIVS
PACCIVS. THVRAR
SIBI. ET. SELEVCO
PAMPHILO. TRYPHON
FILOTAE. LIBERTEIS
POSTERISQVE. EORVM.

C. QVINCTILIVS
C. L. PAMPHILVS
VNGENTARI
SIBI. ET. PATRONO
ET. LIBERTEIS. SVI
POSTERISQVE
EORVM. ET. FAVSTAE. L. NOSTRAE.

25 (70).

[In priori columbario propeurnam animalium ossibus repletam]

D. M.
VALERIAE. EVPORIAES
C. VALERIVS. MITRIDAS
FECIT. CONIVGI. SVAE. BENE
MERENTI. VIX. ANNIS. XX
DONAVIT. CV. C, ANNIVS
FRVGI
MAMAE. SVAE.

26 (73).

[Infra imaginem mulieris anaglypho sculptam in sepulcro vicino repertam]

LOCVS. CONSACRATVS
IVLIA. LVCIANE
VIXIT. ANN. IIII. MEN. VII.
DI. VIII.

27 (73).

[In ruinis reperta]

AETERNA. DOMVS
ΘLYMPIORVM.

28 (73).

[Vicino loco detecta]

CVSTOS. SEPVLCHRI. PENE. DESTRICTO. DEVS
PRIAPVS. EGO. SVM. MORTIS. ET. VITAI. LOCVS.

29 (75).

[Vicino loco reperta]

D. M.
M. CIPIVS. HERMES. M. CIPIO
TREPTO. FILIO. PIENTISSIMO
LOCVM. HVI. SI. QVI. MANVS
INTVLERIT. VIRGINEBVS. VESTALIBVS
SOLVET. POENA. H. S. N. V.
X. X.

30 (74).

[In inscriptione inedita Ostiae effossa]

QVI. VIOLAVERIT
SIVE. IMMVTAVERIT
DEOS. SENTIAT. IRATOS

B. INSCRIPTIONES COLUMBARII MAIORIS.

1.

D. M. CALVIAE. PLOPLASTENI
C. IVNIVS. SVRVS. STATOR. AVG.
CONIVGI. SVAE. BENEMERENTI
FECIT. ET. SIBI. ET. SVIS.

2.

C. DECIMVS. C. L.
IVCVNDVS. V. A. XX.

3.

M. PERPERNA
AESCHINVS.

4.

EXPECTATO
VERNAE. CAESARIS
VIXIT. ANNIS. XXV.
ICHMAS. FILIO. CARISSIMO
FECIT.

5.

A. OGVLNIVS. EPAPHRA
A. OGVLNIVS. AVCTVS
EMIT. AB. C. SEPTIMIO. GEMELLO.

6.

PTONGVS. TI. CLAVDI
CAESARIS. AVG. SER.
PVBLILIA. METHE. VIXIT
ANN. XXV.

7.

TI. CLAVDIVS. HERMA
CLAVDIA. HERMAE
FAVSTILLA.

8.

Q. MVDASENVS. Q. L. EROS
EMIT. DE. L. AVFIDIO
APOLLONIO. IVRIS
MONVMENTI.

9.

M. PERPERNA
AESCHINVS.

10.

GEMINIA
HAPATE
HIC. SEPVLTA.

11.

Q. VESCLARIVS
SCAEVA
POMPEIAE. DROSO.

12.

L. VERGILIVS. L. L
GENIALIS
PACONIA. Q. L.
LAVDICA.

13.

D. §. M.
M. TARICIVS. ATTO. FR.
LEG. I. AIVTRICIS. C. AR
TINIO. GRATO. FR.
LEG. X. GEM. COLLE
B. §. M. §. F.

14.

DIS. MAN. SAC.
M. CORNELIVS. MATER*nus*
VIXIT. ANN. III. M. III. D. . . . .
PARENTES. FECERV*nt*

15.

TI. CLAVDIVS. HERM*a*
STRATOR. PECVLIARI*s*
CLAVDIAE. SECVNDAE
CONTVBERNALI. CARISSIM*ae*

16.

P. SEXTILI. INVENTI
OLLAE. IIII.

17.

LONGINVS. APER. EQ.
LONGINIA. FAVSTA
EMIT. DE. LVCCEIO. AVCTO.

18.
M. PERPERNA
AESCHINVS
EMIT. OL. IV. DE. PLAN. EROTE.

19.
AMPLIATVS.
RESTITVTO. FRATRI
SVO. FECIT. MERENTI

20.
LOLLIA
LAVDICE

21.
M. OFILIVS
CELER.

22.
L. DOMITIVS. BLANDVS
DOMITIA. MVSA

23.
L. FVRRANI
L' L'
MAMAE.

24.
L. AEMILIVS
L. L. PHILETVS

L. AEMILIVS
L. L. AMATOCVS

25.
. . . . Q. TRESIVS
DINAEVS.

26.
[In urna marmorea parieti infixa]
DIS. MANIBVS
VALERIAE. FVTIANAE
VIX. ANN. XXIIII
M. VALERIVS. FVTIANVS
SORORI. SVAE. PIENTISSIMAE.

27.
D. M.
TRYPHAENAE
VALERIA. TRYPHAENA
MATRI. B. M. F. ET
VALERIVS. FVTIANVS.

28.
PETRONIA. C. L. GALLA
DEDIT
M. REMMIVS. PHILADELPHVS.

29.

P. CINCIVS. D. L.
APOLLONIVS
GLODIA. CRESTE.

30.

DELLIA. IV . . . .
OL. II. EMIT

31.

. . . . ELEVCO. ASENI
. . . . LONIS. L. FECIT
. . . . SANIA. ISVRIIS
. . . . OIVGI. SVO.

32.

M. LIVIVS
STATVTVS
VIX. ANN. XX.

33.

L. AVFIDIVS. AEP . . . .
FAVSTVS. VIX. A . . . .
MANLISTIVS. M. LEL . . .

34.

VALERIA
SABBATIS.

35.

D. V. M.
CLAVDIAE. AVG. LIB. NEREIDI
M. VALERIVS. FVTIANVS
MATRI. CARISSIMAE.

D. V. M.
M. VALERIO. SYNTROPHO
FVTIANVS
LIB. OPTIMO.

36.

C. MALIVS
HELENVS
POPILLIA. FAVSTA.

37.

C. IVNIVS. C. L. FELIX. OLLAS. II. SIBI. ET
IVNIAE. CHRESTE . . . : LIBERTAE.
LIBERTABVSQVE. SVIS
POSTERISQVE. EORVM
OMNIVM.

38.

SOTERICVS. ARC.
AVG. CAES. LVCER.
EMPT. DE. PINARIO. R
OL. QVAE. FVIT. PORCI
PHILARGYRI.

39.

PANTIA
CHELYS. V. A. XIII
EMIT. AB. L. PINARIO
RVFO. QVAE. FVIT.
SVRVI. RVFI.

VARIA
HEBENE. V. A. XXVI
EMPTA. DE. LVCANA
FESTA. QVAE. FVIT
T. APIDI. LAVDATI.

40.

DOMITIAE. D. L. FAVSTILLAE
P. PETRONIO. ARISTIONIS. L.
EPAPHRAE.

41.

OLLA. EMPTA. DE. COSCELLIO
COTINOS
MILESIOS
V. A. XXV.

42.

L. PLARIVS. L.L. PR
INCEPS. VIXIT. AN
NOS. XVIIII. OSSVA
ILLIVS. SITA. HIC. SVNT.

43.

PAMPILENA
ADVENA.

44.

AMETHYSTO. ORFITI. SEP
VIXIT. ANNIS. XI
CYPRIS. FILIO
CARISSIMO.

45.

P. CORNELIVS
THEOPROPVS.

46.

D. M.
P. FVFICIO. IVSTO
P. FVFICIVS. SEVERVS. PATER
ET. ANTONIA. SECVNDA. MATEr
FECERVNT. FILIO. DVLCISSI
MO. VIXIT. ANN. II. M. X. D. V.
ITEM. SIBI. ET. SVIS. LIBERTIS
LIBERTABVS. POSTERISQ. EOR.

47.

HIC RELICIAE
PELOPIS. SIT
TIBI. TERRA
LEBIS.

48.

POMPONIA. C. L. PRIMA
C. STATIVS. C. L. FELIX
D. P. S.

49.

L. TACILIVS
ABASCANTV
S. V. A. XXXV. M. V.

50.
D. M. S.
HERMETI. V. A. XXX.
FECIT. EVTERPE
CONIVGI. SVO. KAR.
BENE. MERENTI.

51.
MINVCIA. THERMI. L.
THYMELE.

52.
P. TITIVS
MENA
OFELLIA. M. L.
AVGE

53.
L. CORNELIVS. L. L. REGILLVS
OLLAM. LEGAVIT
M. VALERIO. M. L. FRONTONI

54.
L. CECIVS
C. L. AVCTVS.

55.
QVINTIAE
CRISPINAE
OLLAE. CONTINVAE. II

56.
AELIVS. P. L.
HILARVS
CALPVRNIA. D. L.
NICE. HAVE

57.
CORNELIA
THALLVSA
VIX. ANN. XXIIII

58.
C. MVLLI. C. L.
TEMVLI.

59.
M. IVNIVS
ERITHALVS.
V. A. XXV. CARVS. SVIS.

60.
EROS. TI. CLAVDI
NERONIS.

61.
Q. CLODIVS. D. L.
STOLVS

62.
Q. MVSALENVS
EROS

63.
SCRIBONIA | TVCCIVS
CLEOPATRA | PHILARGYRVS

64.

L. CAESERNIVS. L. F. VEL.
PROCVLVS. AQVILEIA
VETERANVS. AVG. EX. COH. I. PR.
> ROMVLI. MIL. AN. XVII. V. AN. XXXVII
ANTONIA. GRAPTE
CONIVGI. B. M. FECIT

65.

Q. NASIDI
FELICIS

66.

Q. NASIDI. DIOGENIS.

67.

Q. NASIDI. DIOGENIS.

68.

L. POBLICIO. FELICI
VIX. ANN. XXXV
TITINIA. MARTIA
CONIVGI

69.

D. v. M.
DOMITIAE. IRENE
L. DOMITIVS
BRANCHVS. LIBERTAE
SVAE. B. M. FECIT

70.

C. LIBANIVS. C. F. COL.
SECVNDVS. V. A. XXV.

71.

P. LVCCEIVS
APOLLONIVS.
CORNELIA. CALLINICE.

72.

SEX. MANLIVS
HILARVS
EMIT. DE. P. CLODIO. PHILOLOGO. OLLAS.
DVAS.

73.

M. FVLVIVS
AVCTVS

C. MAMILIVS
DEMETRIVS.

74.

DIS. MANIBVS
L. CORNELIO. ABASCANIO
FILIO v PIISSIMO
CORNELIA. AMPHIPOLIS
ET. L. CORNELIVS . . . .
FEC v SIBI v ET v SVIS.

75.
Q. NASIDI
DIOGENIS.

76.
Q. NASIDI
DIOGENIS.

77.

POBLICIA
C. L.
DORIS.

C. PETRONIVS
C. L.
FAVSTVS.

78.

LVCCEIA. L. L.
NICOPOLIS
L. MAGI. FAVSTI

LVCCEIA
TYCHE
VIX. AN. XVI

79.
CELADO
M. VIBI. SER
FVSCI. F. DAT
PONTIENA.

80.
D. M. S.
L. CORNELIO. FAVSTO
CONI. V. BEN. MER. FEC
CORNELIA. HELPIS. ET
SIBI. ET. SVIS. POSTER.
EOR.

81.

IVNIVS. C. L. FELIX. OLLAS. II. SIBI ET
IVNIAE. CHRESTE . . . . LIBERTAE
SVAE. ET. LIBERTIS
LIBERTABVSQVE. SVIS
POSTERISQVE. EORVM
OMNIVM.

82.

L. DOMITIVS
L. L.
PHILOMVSVS

LABIENA

RVFILLA.

83.

M. AELBVTIVS
EVCHARISTVS
V. A. XX.

84.

ANNIA
QVARTA

C. ANNIVS
OPTATVS

EMIT. DE. L. FINARIO. RVFO.

85.

M. CASSI
HERACLIDAE
OLLAE. IIII.

86.

SVLPICIA
PLECTE
VIX.' AN' XXXV.

87.

C. IVLI. HILARI
EMPT. OL. II. DE
VETTIO. FELICEM
SELA. DORIS.

88.

ANICIA
FELICVLA
V. AN. XVI.

89.

M. RVSTIVS
HERACLEO.

90.

D. M.
BLASTVS. AVG. LIB. TABVL
ARIVS. FAECIT. AEDICLAS.
TRES. INTRANTIBVS. DEXT
ERIORE. PARTE. PARIE
M TE. IVNCTAS. DVAS. ET. TERTI
A. IN. QVA. TITVLVS. FIXVS. EST. SIBI. ET
SVIS. L. LIBERTABVSQV. POSTERISQV.
EORVM.

91.

DIS. MAN.
CAESONIA. FORTVNATA
LIBERTA. PATRONAE. BENEMEREN
ET. FILIO. IANVARIO. V. A. V.

92.

[In urnula marmorea]

D. M.
ALEXVS. SE
VIVO. EMIT. SI
BI.

93.

M. TVLLI
AGATONIS
SIBI v ET
CONCVBINAE. SVAE.

OPPIAE

CORACINAE.

94.

TEDIAES
FELICVLAES. OLLAE. VI.

95.

L. APONIVS
L. L. NICIA.

96.

ALEXA. STRATONIS
FILIVS. VIXIT. ANNOS
XXXXII
DORA. FRATER. EIVS
FECIT. DE. SVO. ET. SIBI

97.

D. M.
M. SEPPIO
CASTORI. FE
M. SEPPIVS
HERMES
FRATRI. BENE
MERENTI

98.

C. IVLIVS
C v L
GALOMEDES

IVLIA
C v L
TERAPHNE.

99.

C. SEPVNNIVS. Ɔ. L.
PHILIPPVS
SEPVNNIA. C. L.
PHVLLIS.

100.

VENERIA
P. SEPPIO. POTENTI
CONIVGI. SVO
BENE. MERENTI

101.

DIS. MAN.
PEDIAE. MONTANAE
CAELIA. SATVRNINA. FILIA. MATRI. OPTIMAE.

102.

TEDIAES. FELICVLAES
OLLAE. VI.

103.

ΘE KA.
ONHCEIMOC
EICEIΔωPH
TH. CTNBEIω
EATTOYBEIωCA
CH EIKOCEI ETH
MNHMHCXAPE
IN.

104.
M. ARVLENVS
T. F. CERVOS.

105.
C. LIBVRNI
PHILIPPI
OLLAE. II.

106.
PLAETORIA. HYMNIS
OLLAS. II.

107.
. . . . . .
. . . . . .
CAESARIS. LVSOR
MVTVS. ARGVTVS. IMITATOR
TI. CAESARIS. AVG. QVI. PRIMVM
INVENIT. CAVSIDICOS. IMITARI
. . . . . .

108.
T. ARVLENVS, T. L.
EROS.

109.
LVTATIA. Q. F.
HELPIS
GLYCINNA. L. V. AN. X.

110.
T. QVINTIO
L. QVINTIONI

QVINTIA
T. L.
AMOEBENI

111.
P. SEXTILIO. INVENTO
P. SEXTILIVS. SECVNDVS
PATRONO. ET. SVLPICIAE
SPENDVSAE. PATRONAE
DIS. MANIB.

112.
L. VALERIVS
L. L. ANTEROS
SIBI. ET

VALERIA
L. L. GRAPHINI
CONIVGI

113.
ANICETVS
V. A. XIX.

114.
M. AEMILIVS. FLACCVS
VENDIDIT. L. AVRARIO
PHILACRO. OLLAS. DVAS
GRADV. TERTIO. AB. IMO.

115.
LABIENA
RODINE. D.
DOMITIVS
PHILOMVSVS

116.
CATILIA. PINA
VIXIT. AN. XXVII.

117.
A. CRISPINVS
BVBALVS
CRISPINAE. I ONIDIGO
SVAE. BENEMERENTI. FECIT

118.
MVDASENA. Q. L.
OPTATA.

119.
G. POMPTINVS. C. L. PROBVS.

120.
DIIS. MAN.
CLAVDIAE. TI. F. POLLITTAE
SIBI. POSTERISQ. SVIS
CORNELIVS. VITALIS
CONIVGI. OPTIMAE.
L. M.

121.
[In urnula marmorea]
FRASINVS. CAES.
N. SER. ADIVTOR. A.
VINIS. CLAVDIAE
PHIALE. CONIVGI. SV
AE. BENEMERENTI
FECIT.

122.
D. SCRIBONIVS
FAVSTVS
EMIT. A. MAMILIO
EPAPHRA. IVS.

123.
POPILLIA. P. L.
CLEA. OLLA. I.

124.
M. ATTIVS. M. L.
EVTHEMVS.

125.
M. ATTIVS. M. L
EVTHEMVS.

126.
DIS. MANIB. VETVRIAE
DAPHNE. C. IVLIVS. ANTHVS
ET. VETVRIA. HELENA
PAREN TES
FILIAE SVAE
CARISSIMAE FECERVNT
VIXIT. ANNO. I. MENSIBVS. VIII.

127.

DIS. MANIBVS
VETVRIAE. DAPHNE
VIX. AN. LXXII,
VETVRIA
HELENE. PATRONAE
BENEMERENTI
FECIT,

128.

D. M.
A. SERVILIO. FORTVN
ATO. FECIT, CASTRICIA
EVCHE COVG. B. M.
ET. SB POST
RISQVE EORVM
VIXIT. ANNIS. XXX,

129.

CINERIBVS
CN. COSSVTI. TERTI. V. A. XXXV

COSSVTIA. CLARA. CONTVBER.
POSIT,

130.

D. M.
VALERIAES. EVPO
RIAES. C. VALERIVS
MITH RIDAS
FECIT CONIV
GI. SVA E. BENE
MERENTI. VIX. AN
NIS. XX. DONAVIT
CV. C. ANNIVS. FRVGI
MAMMAE, SVAE,

131.

D. V M.
OCTAVIANI, PRISCI. FECIT
TVRRANIA. PACATA.
CO, BM,
CVM. QVO. VIX.
AN. XXIIII

132.

TI. IVLIVS
APEROS, F,
TI. CLA VDIVS
APER ROS
PAT
F, VIX, ANN, VI,

133.

TI. CLAVDIVS
SECVNDVS,

134.

EROS. TI. CLAVDI
NERONIS.

135,

CLVPIARIA
ORIGO
Q. MVDASIDIVS
ARISTuS

136.

EPHEBVS
VIX. ANN. XXC,

137.

FELGINATI
CALPIS.

138.

EROS. TI. CLAVDI
NERONIS.

139.

[In urnula marmorea]

DIS. MANIBVS
P. LONGENI
AGATHONIS
OCTAVIA. IAS
CONIVGI. BENEMERENTI.

140.

EVTYCHVS
TI. CAESARIS
FECIT. SIBI. ET.

ITALICO. F.
V. A. I.

141.

ANTHVS
CAESAR. AVG. SER. SEBOSIANVS
NONIA. NYMPHE
A. NONI. L.

142.

TI. CLAVDI
EROTIS.

143.

TI. CLAVDIVS
CAESARIS
NVMVNCLATOR
AMARANTHVS
VIX. ANN. XXX.

144.

[In vasculo marmoreo]

D. M.
PEDIAES
MONTANES.

145.

C. NVMMIVS
PRIMVS.

146.

P. LOLIVS. DRACHO
LVCCEIA. Q. L.
DIONYSIA. VX
OR

147.

TI. CLAVDIVS
SECVNDVS
VITRVIA. AMMIA

148.

TI. CLAVDIVS
SECVNDVS.

149.

OSSA. SITA
AGELAVI
PLANCINAES.

150.
[In urnula marmorea]
RVBRIAE
EVTYCHIAE
NVTRICI. HELVIAE.

151.
SENTIAE. RENATAE
Q. V. ANN. IIII. M. XI. D. VIII
SENTIVS. FELICISSIMVS
ET. AMABILIS. FILIAE
DVLCISSIMAE.

152.
CORNELIA. P. L.
CLANGE
CORNELIA. EVXE
V. A. V.

153.
IVCVNDA
C. LVPATIO. POTHINO.

154.
C. TREBELLI
OL. I.

155.
Q. DELLIVS
ARCESINVS.

156.
CAELIA. C. L.
AGATHIS

CAELIA. C. L. ANTIOCHIS
MVRITIS

QVAE. FVIT
CAELI. MELIOR.

157.
DIS. MANIBVS
HEVRESINIS. V. A. XVI
STEPHANVS. GLICONIS
PROCVRATORIS
CONIVGI. BENEMERENTI
FECIT. ET. SIBI.

158.
Q. DELLIVS. Q. L.
RVFIO. DELLIA MERIS V. A. XIX.
EMIT. DE. L. PINARIO
RVFO. QVOD. FVIT. IVRIS. L. VIRIASI.
LALI.

159.
[In urnula marmorea]
SPONSA
OPTATI. ET. CYTHERIDIS. FILIA.
VIXIT. A. XV. S.

160.

[In urnula]

P. CATTEDIVS. P. F.
QVIR. PROBVS
ET. LVCCEIA. IRENA.
CONIVX. EIVS.

161.

[In cippo]

D. V M.
M. STATILIO
FELICI. F. ET
CLAVDIO
NICEPHORO
CONIVGI
STATILIA
HOMOEA. BENE
MERENTIB. FEC.

162.

AEFICIA
M. L. TERTIA.

163.

C. CAIACIVS
Q. L.
THEOPHILVS.

164.

DIS. MF . . .
L. FLAVIO. AGF . .
FLAVIA. MELITIN . . .
CONIVGI. SVO. COLVMBF
CVM. OLLIS . . .

165.

TI. CLAVDI
EROTIS.

166

PETRONIA. C. L. EROMENE
VIXIT. AN. XVII
DEDIT. L. CAECILIVS. APOLLONIVS
OLLAM.

167.

C. GAVENI
ALEXANDRI.

168.

N. VALERIVS. M. L.
POLYCLITVS
EMPTA. OLLA. DE
C. CACVRIO. PAMPHILO.

169.

D. M.
L. TERENTIVS. ALEXANDER
FECIT. NICE. FILIAE. SVAE
QVAE. VIXIT. ANNO. ET
MENSIBVS. VIIII.

170.

M. EPIDIVS. IANVARIVS
V. A. XVI
P. PINARIVS. PRINCEPS
OLLAM. DONAVIT.

171.

L. VETVRI. ZOPHRI
L. PINARIVS. RVFVS
DEDIT. OL. I. QVAE. FVIT
L. VIRIASI. LALI.

172.

[Infra vasculum striatum]

D. SCRIBONIVS
FAVSTVS

173.

[In vasculo marmoreo striato]

NE. TANGITO
O. MORTALIS
REVERERE
MANES. DEOS

174.

[In lapide parieti infixo infra vasculum modo memoratum]

CORNELIVS
SALVIVS
EMIT. DE
LVCCEIO. AVCTO.

175.

MAGIA. M. L.
CLARA
VIXIT. AN. XLV.

176.

M. CASSI
HERACLIDAE
OLLAE. IIII.

177.

OCTAVIA. Ɔ. L
NOBILIS. HIC.

178.

C. IVLI. CELADI. L. HILARI
IVLIAE.CELADI.L.HEDONES
VXORIS.

179.

OFILLIENA
T. L. HORAEA

M. VOLTILIVS
EROS.

180.

TI. SEMPRONIVS
SAPHES.

181.

[In urnula marmorea]

D. M.
C. SALVIO.
MELIPTONGO. PATR.
SALVIA. ATTICE. F.
B. M.

182.

C. NVMMIVS
PRIMVS.

AVENIA
THALAMIO.

183.

D. IVNI. DIOPHANTI. OLL. II
IVNIA. STACTE.

184.

EPAPHRODITI
VIX. ANN
XVIII.

185.

A. HIRTIVS
A. L.
MALCHIO
V. A. XL. CARVS. SVIS.

186.

[Infra protomam marmoream]

P. VALERIVS
CRETICVS.

187.

L. AVFIDIVS. PHARNACES
AVFIDIA. LL. SOSARIA
HIC. SITI. SVNT
L. AVFIDIVS. FRVCTVS
EX. ROGATV. PATRONAE. FECIT.

188.

SECVRITATI
SACRVM
CLAVDIAE. C. FIL.
ROMANAE
VIXIT. MENSIBVS. VII
DIES. XIII
PIA. MATER
FECIT
L. PR. DAT.

189.

P. VOLVMNI
P. L. DIONIS
AVI. RVFI.

190.

VOLVCIAE
C. F. AVIAE. RVFI.

191.

T. PETILLI
C. F. PATRVI
RVFAE.

192.

P. VOLVMNI
P. F. RVFI
PATRIS. RVFI.

193.

P. VOLVMNI
P. L. LVCRION.

194.

D. M. S.
TI. CLAVDI
AGATHO
CLAVDIANI.
VIX. AN. II. M. VII.
CLAVDIA. LAIS
MATER. FILIO. DVLCI
SSIMO.

195.

D. M.
HERMADIONI
HERMES. PATER
FILIO. BENEMERENTI
VIXIT. AN. XVI.

196.

D. M.
FORTVNATO
MATER. FIL.
KARISSIMO
FECIT. VIX.
ANN. XII
MENS. VII.

197.

ΘΔΕΤΦΡΟCΤ
ΝωΟΚΤΡΙΟC
. . . ΞΙωΕΠΟΙ
ΗCΕΖΗCΑΝ
CΙΕ . . . .

198.

D. M.
FALTONIO
FORTVNATO
AGATHONICE
PATRI. B. M. F.

199.

D. M.
C. IVLIVS. HAGIVS
VETVRIA. FORTVNATA
F. B. M.

200.

D. M.
IVLIA. THALLVSA
IVLIO. NOTHO
PATRI. SVO
BENEMERENTI. F. FEC.

201.

DIS. MAN.
C. FONTEIO
DIADVMENO
VIX. AN. VI. M. VII
PRODOCIMVS
FEC. FIL. OPTIMO.

202.

DIS. MANIBVS
IVLIAE. MARINAE
FECIT. C. IVLIVS. APO
LLONIVS. CONTVBER
NALI. CARISSIMAE
BENEMERENTI
DE. SE.

203.

SVETTIA. TERTIA. SIBI
ET. L. METTIO. L. L. BITHO
VIRO. SVO. BENEMEREN
TI. OLLAS. IIII.

204.

CLODIA . . .
VIX. ANN. XXX
M. CLODI*us*
CONI*ugi*

205.

VOLCASIA
Q. L. PRISCA
VIX. AN. XXIV.

206.

RANTIFANA
ↃL SALVILLA.

207.

AVTRONIA
Ↄ. L. VITALIS
HIC. SITA. EST.

208.
COELIA. C. F. PRIMILLA
VIX. ANN. I. MENS. VIII.

209.
A. CERVIO
PRIMIGENIO
VIXIT. ANNIS. II.
A. CERVIVS. ANTEROS
FILIO. SVO.

210.
CLAVDIO, HERMA
CLAVDIA. PIETAS
BENEMERENTI
PATRONO.

211.
M. PVBLILIVS. OPTATVS.

212.
L. FABIVS. L. L.
EVTYCHVS. VIX. A. XVII.

213.
D. LVCILI. FORTVNATI
LVCILIA. RESTITVTA
FILIS. SVIS. ET
CONIVG. BENEM.

214.
. . . . VLCINIVS
. . . . . MAE. BENEMER.
. . . . LIBERTABVSQVE
EORVM. ET. AMICIS.

215.
VALERIA . . . .
VIXIT . . . .
NOLITE. DOLERE . . . .
PROPERAVI . . .

216.
Θ. POPILLIA. CC. LL. PRIMA. VIX. ANN. XXII.
V. CAECILIA. L. C. L. RVSTICA. MATER.
SVLLA. PATER. FECIT.

217.
T. AVRELIVS
ALCEVS. FILIO
SVO. B. M. FECIT.

218.
IVLIAE. NICE
IVLIVS. DIONY
SIVS. LIB. B. M.
FECIT.

219.
D. M.
T. AELIVS. AVGVSTORVM. LIB.
IANVARIVS. ET
AELIA. SVCCESSA. CONIVNX
VIVI. FECERVNT. SIBI
ET. LIBERIS. SVIS. ITEM
LIBERTIS. LIBERTA
BVSQVE. POSTERISQVE. EORVM
H. M. D. M. A.

220.
MAENIA. CN. L.
METHE.

221.
TI. CLAVDIO. AVG. L.
AMIANTHO . . .
VIX. ANN. XX . . .
EROS. ET. NATALIS. FR*atres*
FRATRI. FECERVNT.

222.
CORNELIA
DOLABELLINAE. L
GORGE. VIX. ANN. XI.
POSVERVNT
PARENTES.

223.
. . . . INIAE. C . . .
MARCIA . . .
C. MECENAS. SIB . . .
CONIVGI. SVAE.

224.
P. DECRIVS
PROTHIMVS.

225.
BIVELLIAE.
PIISSVMAE.

226.
D. M.
FAENIAE. DORIDIS.

227.
DAMOCRATES. IVLIA. ANTIGONE
. . . . . .

228.
M. MARIVS
MINISTER
VIX. AN. XII. D. XXI.

229.
PHOEBVS
POMPEIAE
SER. V. A. XXII
RAECIA. M. L.
MELE. CONIVGI
SVO. B. M.
FECIT.

230.

M. ALLIENVS M. L. ANTIOCHVS ALLIENA.M.L.DAPHNIS L. EIVS. IN. VNO.	M. ALLIENVS ROMANVS. DECESSIT ANN. XXII. GVTTA PVELLA. DELICIVM. EIVS ANN.VII.EODEM.DIE.MORTVA VNO.ROGO.COMBVSTA.IN.VNO.

N. ALLIENVS
SP. F. CLV. ROMANVS
VIX. ANN. XI.

II.

INSCRIPTIONES KELLERMANNIANAE.

1.

. . . . . .
I. C . . IVS *m. f.* SEV*eru*S
L. TVCCIVS. L. F. BASSVS
M. MODIARIVS. M. F. CLEMENS
Q. FABIVS. Q. F. MODESTVS
C. OPPIVS. C. F. ASIATICVS
C. PLAETORIVS. C. F. IANVARIVS.

. . . . . .
C. FABIVS. C. F. . .
A. ANCHARIVS . .
TAVRVS. CANIN.
L. VOLCACIVS.
L. ACESTIVS.
M. TVSCVLANIV . .

ITEM. AVGVSTALES AEDITVI.

2.

D. M.
FLAVIAE. F*a*CVNDAE
M. VLPIVS. A*ba*SCANTVS
CONIVGI. B*ene* M*e*RENTI
FECIT. ET. SI*bi*. *li*BERTA
BVSQVE. *posterisque*. SVIS
H. M. . . . .

3.

D. M.
AVXESI. ET. NICE
PHORIDI
PARDALAS. ET. AVXESIS
PARENTIS.

4.

D. M.
M. V*al* ERIVS. RVFVS
DONAVIT. T. FLAVIO
*e*LEVTHERO. OLAS. QVA
*tt*VOR.

5.

. . MIVS. M. F. FVSCVS
POPILLIVS. M. F. LAENAS
. . SINNIVS. L. F. BITHYNICVS
VOLVNSEIVS. L. F. FLAMININ.

6.

D. S. M.
M. PETILI. ADIECITI
STAT. AVG.
SCRIBONIA. VENV. A
CONIVGI. BENEMERENTI. FEC.
MILIT. ANN. XXI. VIX. ANN. XL.

7.

M.
ICINIAE.
RATILLAE
*f*ECIT
VICINIVS
*do*ROTHEVS
*co*NIVG. B. M.
V. A. XXXX.

8.

. . NIBVS
LAIDI
HERMA
. . RISSIMAE
LIBERTIS
. . . SQ. EOR.

9.

[Lapis in modum baseos candelabri formatus duobus lateribus inscriptus est]

I OSALVT
C. CAESARIS
AVG. GERM
ETREDITV

FP PR
THESIS
Q. COSIDIVS. TERTIV
D. D.

10.

GENIO. LOCI
*res*TITVTO
A. L. EGNATV
LEIO. ROMVLO
TRIBVNO.

11.

SITALCES. DIVI
AVGVSTI
OPSES. THRACVM.

IVLIA. P. IYLLIS
SOROR. EIVS

12.

[In ara cuius antica pars inscriptionem habet, postica cervum currentem, dextra pateram, sinistra praefericulum].

C. IVLIANVS
CAECYVS. ANT
F

[Arcus cum pharetra]

PPN. AL.
DIANIVM. D. D.

13.

THALAMVS
M. FVRI
CAMILLI. AB
HORR.

ANNOTATIO.

Inscriptiones, quae primo huius appendicis capite cum viris, doctis communicantur, curae et industriae *Campanae, Romani* debemus. Hic vir, qui indefesso studio thesauros recludit, quos ager Romanus ab antiquitate ei traditos occultat, cum nuper columbarium insigne reperisset, de quo mox accuratius dicturi sumus, inscriptiones in eo inventas publici iuris facere statuit. Simul vero inscriptiones quasdam, quas antea iam effosserat, in primis in minori quodam columbario, quod cum *Capranesio* ad portam Latinam Scipionum sepulcro vicinum detexerat, inventas edidit. Has igitur in prima huius appendicis parte, sicut a *Braunio* descriptas accepi, inprimendas curavi, et uncinis inclusum numerum paginarum operis Campaniani addidi, quo ipso uti non potui, cum eo tempore, quo haec scripsi, nondum absolutum, certe huc nondum translatum sit.

P. 24. n. 2. PROC. XX. HERED. *Vicesima hereditatum* vectigal fuit ab Augusto inductum, quod aerario et paullo post fisco inferebatur, de quo v. quos laudat Heineccius, antt. Rom. I, app. 19. Huius *procuratores* etiam in aliis inscriptionibus inveniuntur cf. Grut. 389, 2 (Orell. 798); 437, 7. Fabrett. I, 179. 180. 181. Murat. 777, 7. 779, 3.

THALLVSA. Nomen frequens v. B. n. 57. 200. Ossann. syll. p. 376, 58. Cf. inscr. inedita:

TI. IVLIVS. TI. L. MAHES
FECIT. SIBI. ET.
AVXIAE. M. L. THALLVSAE. ET.
PATRONO. THALLVSAE
M. AXIO. APOLLONIO. ET
SVIS. LIBERTIS. LIBERTABVS
ET. FAMILIAE

TI. TVLLIENVS. TI. D. L. FELIX. VIX. AN. V. MENS. VII
TVLLEIAE L. L. PRIMAE
IN FR. P. XII. IN AGR. P. XIIX.

[Tab. marm. Romae in aedibus Rondaninis exser. *Kellermann.*]

Omnino nihil frequentius, quam graeca participia pro nominibus propriis, praesertim mulierum, usurpata. Exemplis a Boissonadio (comm. epigr. ad calcem epp. Holstenii p. 434 sqq.) collectis adde PAEZVSA, A. n. 8. B. n. 111, et in hac a Muratorio 1164, 4. negligentius edita, quam *Kellermannus* Romae in coenobio S. Pauli ita exscripsit:

D. M. L. FABRICIVS. DEMETRIVS
ET. FABRICIA. PAEZVSA. FECER
FILIAE. B. M. FABRICIAE. DORCADI. ET
M. IVNIO. LEONI. M. IVNIO. IANVARIO
M. IVNIO. SECVNDO. LIB. LIBERTAB. POST. EOR
IN. F. P. X. IN. A. P. X.

cum Murat. l. 2. PEZ. edidisset et l. 4. totam omisisset. SPENDVSA est B. n. 111. cf. Cardinali, Dipl. mil. p. 136, 253. Inter rariora nomina facile numerandum sit BREMVSA in inscriptione, quam *Kellermannus* in coenobio S. Pauli exscripsit:

D M
TILLIAE
BREMVSAE
M. FVRIVS
CHARI . . O
B. M. P.

P. 24. n. 4. V. Solent in inscriptionibus, praesertim sepulcralibus, nominibus propriis litterae V et Θ praefigi, ut distinguerentur vivi a mortuis. Itaque saepissime factum est, ut hae siglae, cum titulo prius iam insculpto postea adderentur, vel litteris minutis vel omnino aliter formatis scriptae, interdum etiam minio pictae inveniantur. In aliis lapidibus legimus utramque litteram v. infra B. n. 216, in aliis modo hanc modo illam v. exempla apud Sponium, misc. erud. ant. p. 245 sq. Fabrettium I. p. 32 sqq. Marini, Atti de frat. Arvali p. 609 sqq. Littera V posita est pro VIVIT, VIXIT, quod in aliis titulis plene scriptum legimus v. Marini l. l. p. 93. 269. 482. Cardinali, Iscr. ant. ined. 30. Littera Θ autem mortem (*Θάνατον*) significat, unde a Persio (IV, 13) *nigrum* vocatur, a Martiale (VII, 37, 1 sq.) *mortiferum*, ab Ausonio (epigr. 128, 13) *sectile*. Docet Isidorus (Orig. II, 23), in breviculis, quibus militum nomina continebantur, ad defunctorum nomen apponi solere notam Θ, quod alii quoque scriptores affirmant, v. Rufin. in Hieron. II. p. 298. ed. Ben. Probus et P. Diaconus de notis,

Galen. ad Hipp. comm. ad ep. 3. t. XVII, 1. p. 612. ed. Lips. Cf. de hac re Rutgers VV. LL. V, 17. Reinesius VV. LL. I, 7. Iudices etiam ubi mortis damnarunt reum hac nota usos fuisse, praeter Martialis l. l. tradunt Schol. Pers. IV, 13. Denique in scholis grammaticorum hanc litteram in usu fuisse ad notanda ea, quae minus bene posita erant, probare possis e Sidonii Appollinaris (carm. IX, 331 sq.) verbis:

— qui valet exarationi
Districtum bonus applicare theta,

et revera Ios. Scaliger hoc modo Persii quoque locum explicandum censuit (not. ad Varr. de re rust. p. 230), sicut nos in corrigendis typothetarum plagulis eodem signo utimur, ubi quid delendum est. At haec explicatio incerta, illud certissimum, in inscriptionibus Θ notam mortis saepissime reperiri. Quare rectissime Marinius in opere musivo, quod pugnas gladiatorum exhibet cum inscriptionibus, quas perperam intellexerat Winckelmannus (Mon. Ined. n. 197 s. p. 259), Θ eorum gladiatorum nominibus additum esse statuit, qui in pugna ceciderunt (l. l. p. 165). Unde proficiens Millinus in anaglyphis sepulcri Pompeiis effossi, quae gladiatores et bestiarios pugnantes monstrant similibus cum inscriptionibus, eandem significationem recte agnovit (description des tombeaux découv. à Pompei 1812 p. 34 sqq.). Eadem denique ratione eadem littera explicanda erit in pavimento musivo, quod iam Romae in villa Borghesia expositum est, cuius imagines benigne mecum communicavit L. Canina, qui breviter de eo retulit (Bullettino dell Inst. arch. 1834. p. 193 sqq.). Ibi enim Θ adscriptum est eorum gladiatorum nominibus, qui aut iam succubuerunt, aut in eo sunt, ut telum in se recipiant. Praeterea in inscriptionibus militaribus, praesertim Noricis et Pannonicis (cf. Marini l. l. p. 177. n. 75.) et in innumeris titulis sepulcralibus legitur et defunctum esse notat, cuius nomini appositum est.

P. 24. n. 5. PROCLVS. Hanc nominis formam, quam prae altera *Proculus* improbavit Lobeckius (Aglaoph. p. 115.), in inscriptionibus haud paucis legimus. Cf. S. Bartoli, Sepolcri 21. Grut. 1118, 3 (exscr. *Kellerm.*). Maffei Mus. Ver. 272, 2 (qui l. 5. vitiose edidit FECIT SIBI pro FECIT ET SIBI, et l. 7. POSTERISQVE pro POSTERISQ, teste *Kellermanno*, qui Romae exscripsit in villa Altieria). P. de Lama, guida al museo di Parma p. 80. n. 55. Cardinali, Iscr. ined. 255. Lehne, ges. Schr. II. p. 122. n. 167. Addo duas e *Kellermanni* schedis:

D M
VLPIAE. SEMNE
Q. V. A. XVI
B. M. FEC.
PROCLVS. AVG.
LIB. TVTOR
EIVS.
[In tab. marm. musei Vaticani]

D. M.
CHRYSIDI
PROCLA
FILIAE. KA
RISSI. FECIT
[Tab. marm. a. 1822 ad turrem Maranciana effossa, nunc Romae in aedibus regis Sardiniae.]

P. 24. n. 7. HEDONE. Notum est, in inscriptionibus genitivum et dativum nominum proprorum primae declinationis haud raro E neque vero AE terminari. Observavi in his titulis hoc tantum in nominibus graecae originis factum esse, et ita quidem, ut nomen Romanum, ubi additum est, solito modo in AE finiatur, ita praeter h. i. B. n. 37 (cf. n. 81) *Iuniae Chreste*; n. 69. *Domitiae Irene*; n. 121. *Claudiae Phiale*; n. 126. 127. *Veturiae Daphne*; n. 218. *Iuliae Nice* cf. n. 169. *Nice filiae suae*. Nec abhorret a veritate, ex hac peregrinorum vocabulorum orthographia ortam esse consuetudinem, quae posterioribus temporibus longius gliscebat, etiam in verbis Romanis loco diphthongi AE litteram E ponendi.

P. 24. n. 8 et 9. edidit Cardinalius (Diplomi imperiali p. 195. n. 379. 380.) parum accurate. Monuit is, cogitasse quosdam de Octavia, Augusti Imperatoris filia ignotissima, eos autem a Borghesio esse refutatos, qui docuerit, intelligendam esse Octaviam, Claudii Imperatoris ex Messalina filiam, infelicissimam Neronis uxorem. Qua de re ubi scripserit Borghesius, non possum indicare, sequimur vero tanti viri iudicium. De hac Octavia v. Eckhel. D. N. VI. p. 285 sq., ad eandemque pertinere inscriptionem apud Murat. 918, 4. recte, ut nunc magis etiam apparet, intellexit Orellius (n. 651), quam apposui, cum aliae huius Octaviae inscriptiones non videantur exstare.

VALERIA. HILARIA
NVTRIX
OCTAVIAE. CAESARIS. AVGVSTI
HIC. REQVIESCIT. CVM
TI. CLAVDIO. FRVCTO. VIRO
SVO. CARISSIMO
TI. CLAVDIVS. PRIMVS. ET. TI. CLAVDIVS
BENE. MERENTIBVS. FECERVNT.

ORNATR. Ornatrices, quarum ingentes catervas habebant dominae Romanae, in titulis frequenter nominantur; cf.

Gori, columb, Liv. Aug. p. 129 sq. Guasco, dissert. Tusculana sopra un' ant. iscr. sep. appart. ad una ornatrice. Rom. 1771. Cardinali, dipl. imp, p. 183 n. 325. p. 195 n. 377. 378. 379. Addo fragmentum tabulae marmoreae, quam ad turrem Marancianam effossam Romae in aedibus regis Sardiniae exscripsit *Kellermannus*.

. . . . MANIB
. . IAE. VIXIT.
. . XXVII. FECIT.
. . SABINA. DO
. . CILIAE. SVAE
. . ORNATRICI.

P. 24. n. 9. AB. ARGENTO. In titulo columbarii Liviae Augustae n. 199 est *Hilarus ad. argent.* eadem significatione, de eo, qui argenteae suppellectilis curam habuit; ibi similia attulit Gorius, p. 191.

P. 25. n. 11. VNCTOR cf. Orelli n. 2791. Marini, Atti de fr. Arv. p. 610. Sequentem inscriptionem tabulae marmoreae Romae in coenobio S. Pauli exscripsit *Kellermannus:*

D. M.
M. VL. EPAGATHIO
NI. VNCTORI. M. VL.
ERMES. SODALI. BE
NE. MERENTI. FE
CIT

PEDISEQVS eodem modo, quo hic, scriptum invenies apud Fabrett. III, 528, in alio lapide PEDISECUS exstat (Orell. 789), in alio PEDISSECVS (Reines. IX, 105), ut solent QV, Q et C iisdem in verbis usurpari, qua de re multa contulit Schneiderus, Gr. Lat. I, 1 p. 321 sqq. Multa huiuscemodi etiam in codd. antiquissimis comparent, cf. A. Mai, ind. orthogr. Front. p. 411 ed. Rom. In aliis quoque variat scriptura huius verbi, nam modo duplex S ponitur, modo simplex, tum invenitur PEDES. in duabus inscriptionibus apud Sponium Misc. p. 229.

P. 25. n. 12. SABBATHIS. Infra B. n. 34 idem nomen SABBATIS scribitur, ut solet in hac re variari.

P. 25. n. 16. VIA. PRIVATA. INTER. P. RVTILIVM. Explicantur haec inscriptione, quam ex museo Zelada edidit et contra Maffei suspicionem vindicavit Marinius (Iscr. Alb. p. 64; Orelli 4391), non tamen ea diligentia, quam in eo viro admirari solemus; quare eam hic subiicio, ut a *Kellermanno* in museo

Vaticano, ubi nunc servatur, descripta est (cf. Orelli Anall. epigr. p. 44):

ITER. PRIVATVM. A VIA. PVBLICA
PER. HORTVM. PERTINENS. AD. MONIMENTVM
SIVE. SEPVLCHRVM. QVOD
AGATHOPVS. AUG. LIB. INVITATOR
VIVVS. ET. IVNIA. EPICTESIS. FECERVNT
AB.IIS.OMNIBVS.DOLVS.MALVS.ABESTO.ET.IVS.CIVILE.

Ad eosdem pertinet inscriptio apud Grut. 598, 6

AGATHOPVS
AVGG. LIB.
INVITATOR. ET
IVNIA. EPICTESIS
AVRELIAE. EPICTESI
ET. AVRELIAE. IRENE
FILIABVS. SVIS
DVLCISSIMIS
PARENTES. VIBI
FECERVNT

Ex hoc autem titulo corruptus esse videtur negligentia an fraude alius, quem edidit Muratorius 936, 3. Tertius vero lapis, qui eosdem spectat, editus est a Montefalconio in Diario Italico p. 359, indeque repetitus a Muratorio 885, 7, cum tamen accuratius jam descriptus esset a Gorio (Inscrr. Etrur. I. p. 195, 8). Hic igitur ita se habet:

. AGATHOPVS. AVG. LIB. INVITATOR.
QVE AD MODVM. IN. INTROITVM. PORTICVNCVLAE
AD. MONIMENTVM. AVRELIAE. IRENES. SVPERPOSITO
TITVLO. SVPER. OSTIVM. SCRIPTVRA. CONTINETVR. QVI
TITVLVS. ATTENDIT. IN. HORTO. EA. OMNIA. DE. SVO. FECIT.
QVAE. PERTINENT. AD. MONIMENTVM. SIVE. SEPVLCHRVM. ISDEM
AGATHOPI. QVOD. VIVVS. A SOLO. ET. IVNIA. EPICTESIS. FECERVNT.
AB IIS OMNIBVS. DOLVS. MALVS. ABESTO. ET. IVS. CIVILE.

P. 26. n. 18. AB. OPERA. PVBLICA. Etiam apud Grut. 624, 6. Fabrett. I, 63 est EVVODIVS AB OPERA PVBLICA.

P. 26. n. 20. A. QVA. etc. Solent mariti defunctis uxoribus testari, se cum iis vixisse *sine querela* (Fabretti IV, 77 sqq.), *sine contumelia* (Marini Iscr. Alb. p. 113), *sine macula* (ibid.), *sine ullo stomacho* (Guarini, comment. XIV, p. 46, 6), *sine lite, sine rixa, sine controversia* (Card. dipl. p. 22, 24), *neque ullum ex iis dolorem habuisse nisi mortis*, cf. Fabretti IV,

p. 275 sq. et hanc inscriptionem cippi marmorei a *Kellermanno* in museo Vaticano exscriptam:

D M S
IVLIAE. SEVERAE. ΚΤΡΙ
ΑΓΑΘΗ. MAGNI ET RARI
IN OMNIBVS EXEMPLIS
VITAE SVAE FEMINAE
SEVERVS. AVG. LIB.
FECIT CONIVGI OPTV
MAE CVM QVA VIXIT
ANNIS. XXX. DE QVA. NI
HIL. CONQVERI POTVIT
NISI. QVOT. CELERI. FATO
INTERCEPTA SIT

Ut in nostro titulo, ita praedicatur in inscriptione Fabrettiana (IV, 450. Orell. 4530 cf. Anall. epigr. p. 44) uxor, *quae nunquam marito suo maledixit*.

P. 26. n. 21. Ad monumenta sepulcralia aedificanda communia *societates* iniebantur, quae uni cuidam *curam* huius rei tradiderunt. Is *curator* vocatus est, et aedificium *sociis probare* debuit. Tum *sortitione facta* unusquisque e societate partem suam huius monumenti accepit, unde factum est, ut pars talis etiam *sors* vocaretur, quae certum ollarum numerum continebat. Has, ut cuique libuit vel per societatis leges licuit, aut suum suorumque in usum servare, aut vendere potuerunt. Quodsi curator rem suam eximie gesserat, vel de sua pecunia quaedam pulchrius exaedificaverat, id quod haud raro usu venit, socii huius meriti in titulo gratam fecerunt memoriam, et saepe ollas aliquot ei dono dederunt, vel partem suam libera optione eligendam tradiderunt, antequam sortirentur ceteri. Haec ne sine testibus dixisse videar, inscriptiones hasce adscripsi.

1. CN. CINNA. MAGNO
L. VALERIO. VOLESO. COS. AD. XIII. K. APRILIS
AD. MONVMENTVM. SOCIORVM
IN. CONVENTV. HABENDO. CVRATORE
C. PETRONIO. C. F. FAL. VARIA. ACTVM. EST
ET. ITA. DECREVERVNT. LOCVM. L. SEMPRONI.
D. L. HILARI. ET. OLLAS. V. DARI. ADSIGNARI.
C. PETRONIO. C. F. FAL. VARIAE. CVRATORI.
OB. PIVM. OFFICIVM. INDVSTRIAM. ERGA. SOCIOS
EIVS. MONVMENTI. ET. SOCIVMQ. EVM. ADSCIVER
[Grut. 883, 15. Orell. 4539.]

2. L. LICINIVS. L. D. L. ALEXA. CVRATOR. SOCIORV
SECVNDVS. IS. MONVMENTVM. EX. PECVNIA
COLLATA. SOCIORVM. AEDIFICAVIT. ARBITRATV
SVO. IDEMQVE. TECTORIO. OPERE. FECIT. ET. IS. TRICHILINIV *)
SOCIORVM. EX. SVA. PECVNIA. OPERE. TECTORIO
PERPOLIT. ET. AMICIS. DONVM. DEDIT
ET. EX. AMICORVM. AERE. COLLATO. IMAGO. EL. **)
FACTA. EST. ET. SINE. SORTE. PRIMO. AB. SOCIS
QVAS. VELLET. OLLAE. SEXS. DATAE. SVNT
EIQVE. OR. †) OFFICIVM. ET. MAIESTATEM. EIVS
INPERI. ET. VOM. IMMVNITAS. DATA. EST
[Fabretti VI, 59.]

3. SIBI. ET. SVIS
A. FABIVS. A. L.
PHILARCVRVS
CVRATOR. TERT
EX. SORTITONE
OLLAS. SEX. ET
EMTAS. OLLAS
DVAS. DE. CN. CO
RNELIO. FLIX. EX
SORT. PRIM. ET. A
MACLONIO. SABIN..
.X SORTE. TER. OLLAS..
C. VETIENVS. C. L. PHILA
DELPVS. VETIENA
C. L. NYISSA... ††)
[Murat. 1581, 10.]

His titulis inter se collatis apparet, vera esse, quae supra breviter posita sunt. In hoc tertio vides Fabium, non contentum sex ollis, quas sorte acceperat, a duobus aliis sociis, qui primo et tertio loco sortiti erant, alias ollas sibi coemisse. Sortes vero in hisce quoque inscriptionibus Fabrettianis (III, 287, 288) habes:

---

*) Eodem modo scriptum v. *triclinium* in inscr. Orell. 4517.

**) l. EI.

†) l. OB.

††) Pauca vitia facili negotio corriguntur, l. 5 leg. SORTITIONE; l. 9 FELICE; l. 12 EX.

4. M. FABI. FELICIS. CVR
CVM. M. AEMILIO
CHRESTO
MONVMENTVM. EX
PECVNIA. SOCIORVM
XXXVI. FECERVNT
RAT. PAR. SORT. II. LOCO. XXVII

5. C. RABIRI. C. L
FAVSTI
SORS. IIII. LOC. VIII

ubi Fabrettius *sortem* seriem columbariorum, *locum* ollarum numerum ab imo ad summum significare putavit, cui sententiae opponi possit inscriptio Gruteriana 1, in qua *locus Hilari et ollae V* coniunguntur. Igitur rectius fortasse statuemus, *sortem* vocatam fuisse eam sepulcri partem, quae unicuique sociorum sorte concedebatur, *locum*, quod v. in universum, ut consentaneum est, sepulcrum h. e. locum, ubi mortui ossa condita sunt, significat, de ollarum numero intelligi, quem quis sibi suisve comparavit. Nam in monumentis maioribus, ut iam dixi, socii singuli longe maiorem ollarum numerum accipiebant, quam pro ipsorum usu, itaque aliis quoque, ut placuit, locos concesserunt; quare monumentum idem locos plures quam sortes continere potuit. Iis, quae modo allata sunt, nostra quoque inscriptio illustratur. Ut in ea C. Causinius Spinter in societate *primus curator* factus esse dicitur, ita in inscr. 2 *curator secundus* et in inscr. 3 *curator tertius* invenitur. Qnaeri possit, quae sint *viriles partes*, quas hic commemoratas videmus. In iure hereditario *partes viriles* sunt *aequales*, quae pro numero personarum in capita constituuntur, ut tot fiant, quot sunt personae, eoque sensu pars virilis opponitur *hereditariae*, id quod apparet ex locis Forcellini lexico et Dirksenii manuali s. v. *virilis* allatis; ita hic pars virilis est, quam quivis socius accipit, quam eandem postea sortitione facta sortem vocatam fuisse iam vidimus. Cum quattuor partes sint et viginti ollae, quinque ollas socius quivis accepit; fuit ergo societas paucorum hominum et monumentum, ut par est, exiguum. Contra in inscr. 4 habemus XXXVI socios, et in sorte secunda locum vicesimum septimum.

P. 27. n. 23. THVRARIVS. Vocem *thus* antiquioribus temporibus cum aspiratione scriptam esse, quae posterioribus demum temporibus omissa sit, docent grammatici, et ex lapidibus probavit Marinus (Atti de fr. Arv. p. 337 sq.). Thurarius est, qui thus ac similia vendit, quales in inscriptionibus a Marinio allatis inveniuntur.

REGE quid sit, nescio; nam de rege Mithridate hic non esse cogitandum, certum mihi videtur:

MITHREDATIS. Hucusque duae huius nominis formae innotuerant, quarum altera MITHRIDATES in libris scriptis potissimum, altera in nummis et inscriptionibus potissimum invenitur MITHRADATES, quamquam illa in lapidibus quoque, haec etiam in codicibus reperitur (cf. Osann. syll. p. 222). Iam habemus hic tertiam MITHREDATES, quae tamen, cum pro MITHRAS, a quo deductum est nomen Mithradates, etiam MITHRES inveniatur, nihil habet, quod miremur. Ceterum homines mediocris quoque conditionis splendida regum nomina affectasse nube exemplorum docuit Marinius (Atti de fr. Arv. p. 528 sqq.), quibus adde e nostris MITHRIDAS A. n. 25; PHARNACES, B. n. 187. Archelais tredecim, quos idem collegit (l. l. p. 609, n. 40) addendus est hic ex inscriptione sarcophagi, quam apud Vescovalium descripsit *Kellermannus*.

D. M.
L. SEPTIMIO
ARCHELAO
Q. V. A. V. M. X
D. XXVII. ARC
HELAVS. ET
BACCHIS. P. F. (*Parentes Filio*).

P. 27. n. 24. VNGENTARI. Sicut apud veteres grammaticos disceptatum est, utrum *unguo*, *unguentum* an *ungo*, *ungentum* scribendum sit, cf. Serv. ad Aen. IX, 773. Vel. Long. p. 2223 P., ita h. v. in inscriptionibus modo VNGENTARIVS scribitur (Fabretti p. 219 sq.), modo VNGVENTARIVS (Marin. Atti de fr. Arv. p. 516).

P. 27. n. 25. Inscriptio repetita est infra B. n. 130, aliter disposita, nec sine varietate lectionis.

EVPORIAES. Idem nomen invenies apud Marinium (Iscr. Alb. p. 119). Genitivi forma in inscriptionibus frequentissima in nostris quoque exstat, v. B. n. 94. 102. 144. Cf. Osann, Hall. LZ. 1827 Suppl. 69, p. 546.

P. 27. n. 26. LOC. CONS. Similiter in alia inscriptione (Orell. 4499): LOCVS. SACER.

P. 27. n. 27. DOMVS. AETERNA solemne est pro sepulcro v. Orell. n. 4525 sqq.

P. 27. n. 28. Habemus in hac inscriptione Priapi custodiae sepulcrum traditum, quacum conferendus titulus Musei Veronensis (87, 4. Orell. 1624):

DIS. MANIB
C H C
LOCVS ADSIGNATVS
MONIMENTO IN QVO EST
AEDICLA PRIAPI
IN FR P LXX IN AG P LXX

Nolim tamen cum Maffeio hic risum cum lacrimis commixtum putare, verum res, quamvis difficillima tractatu, paullo altius videtur esse repetenda. Quamquam de hoc usu, quo in sepulcris Priapi statua vel aedicula collocabatur, ex inscriptionibus aut veterum scriptorum locis nihil praeterea habeo, quod afferam, artis antiquae tamen quaedam monumenta huc pertinere videntur. In iis enim prope columnam Ionicam Priapum videmus collocatum; iam vero quin haec in monumentis sepulcrum significare soleat, nemo potest dubitare, qui in iis paullum versatus est, et monuerunt ea de re Stackelberg (Apollotempel z. Bassae p. 40 ss.), Rad. Rochettus (Mon. Ined. p. 141. 304), aliique haud pauci. Verum haud ab re erit, haec monumenta accuratius recensere. In pictura vasculi apud R. Rochettum (Mon. In. tab. 28) conspicimus virum barbatum amplissimo vestitu ornatum prope columnam Ionici ordinis, cui orbis impositus est, in genua prolapsum dextram cum clamore anxie ad coelum tendentem. Instat enim ei iuvenis nudus, qui sinistra fauces eius fortiter collidens pedeque crus premens iam in eo est, ut cultro, quem dextra sublatum tenet, eum iugulet. Hinc illinc fugiunt servi, hic cum cultro, tripodem alter portans terrore correpti, et supra eos ab altera parte vir barbatus, ab altera mulier nescio quod baculum ingens gestans diffugiunt. Haud procul e lapidibus coacervatis eminet Priapi herma. Huius picturae diversas explicationes protulerunt VV. DD. Et Rad. quidem Rochettus caedem Agamemnonis ab Aegistho perpetratam hic repraesentari putavit (l. l. p. 138 sqq.), hermam vero, Comi imaginem, significare, inter pocula trucidatum esse regem Argivorum; Od. Müllerus (arch. §. 402, 3) Athamantis fatale sacrificium (cf. Orchom. p. 161 sqq.) agnovisse se, paucis significavit. Utraque interpretatio suis premitur difficultatibus, et mihi quidem tertia vera esse videtur, quam proposuit Th. Panofka (Hyperb. Röm. Stud. p. 299 sqq.). Hic enim Herculem agnovit, qui cum a Busiride ad sacrificium raptus esset, vincula rupit, et regem Aegyptiorum cultro arrepto sacrificavit. Videmus iam trepidos sacrificii ministros cum ipsis instrumentis effugere, ubi pro victima ipsum regem cadentem aspiciunt, nec

in nostra pictura neglectum videmus studium, quod in omnibus monumentis, quae hanc rem repraesentant, et maxime quidem in duabus vasculorum Vulcentium picturis (Micali tab. 90) clarissime apparet, ut barbari singulari quadam facie conspicui sint. Regem ipsum autem barbarum ab artifice esse repraesentatum, nemini puto dubium erit, qui vel aliam picturam contemplatus sit, in qua Lycurgus Thrax simillime pictus est (v. Zoega, Abhdll. tab. II, 4). Columna autem, praesertim globo superposito, sepulcrum significari cum etiam R. Rochettus recte demonstrarit, quamvis quo pertineat non explicuerit, apposite monuit Panofka, ad Osiridis sepulcrum hospites mactavisse Busiridem (Diod. Sic. I, 88). Accedimus ad vas Chigianum celeberrimum, quod cum ab altera parte monstret Amorem, qui papilionem alis prehensum lacrimans supra facem tenet, adstantibus ab utraque parte Nemesi et Spe, ab altera iuxta columnam Ionicam duas mulieres exhibet paene nudas, quarum altera dexteram cruri sinistro, quod fascia circumvolutum attollit, admovet, dum sinistram columnae applicat, altera in saxo sedens pateram vel concham quandam ei porrigit. Post hanc satyrus stat pedum tenens, qui cum risu dextera elata arborem monstrare videtur, quae ab altera parte conspicitur, in eaque statua Priapi collocata. Viscontii sententiam (Opp. var. p. 120), repraesentari scenam quandam mysticam, probavit Böttigerus (Ideen II, p. 488); ceteri VV. DD. fere omnes Venerem agnoscunt, quae cum in morte Adonidis pedem vulnerasset, iam Byblide nympha adstante vulneri medeatur, satyrum autem cum irrisione Priapum, tanquam huius mali auctorem, digito monstrare (cf. Zoega, Abhdll. p. 52. Welcker, ibid. p. 385 sqq., Creuzer Abbild. z. Symb. p. 24). Huic monumento, cuius explicatio mihi, ut verum fatear, haud ita certa esse videtur, accedat pictura Pompeiana (Mus. Borb. I, tab. 32). Ibi apud columnam insolito modo fastigiatam videmus Mercurium, qui minaci vultu caduceum attollens mulierem alloquitur, quae columnae caidam molliter innixa peplum, qui pulchri corporis superne nudati aspectum non invidet, lascivo quodam gestu dextra prehendit labricisque oculis eum adspicit. Eadem autem, qua columna, basi collocata est Priapi, obscene formati, statua parvula. Quaranta, qui hanc picturam docta dissertatione explicavit, Venerem, quae mortem Adonidis a Diis remota lugebat, hic a Mercurio prope Adonidis sepulcrum moneri putavit, ut Deorum conventum iam denuo frequentaret. Non me fugiunt, quae ad hanc sententiam exornandam docte et acute

disputari possint (ipso enim Quarantae libro nunc careo), non possum tamen, quin hanc explicationem perquam dubiam et incertam putem. Od. Müllerus (arch. §. 381, 6) Mercurium amore incensum cum hac muliere congredi putavit; et de Lara nympha (cf. Ov. Fast. II, 585 sqq.) hic potius cogitari possit, quam in altera pictura (Pitt. Erc. III, 12). Verum haec utut sunt, cum in omnibus his monumentis sepulcrum adstante Priapo non possit in dubium vocari, ad rem nostram sane pertinere videntur. Neque multum abhorrere ab ea hermas, quos olim sepulcris imposuisse Atticos testatur Cicero (de legg. II, 26, 65, cf. Paus. X, 12, 6), concedet qui reputaverit, omnes antiquissimo tempore hermas ithyphallicos fictos fuisse. Quodsi iam quaeritur, quo sensu Priapum sepulcris vicinum collocaverint antiqui, diversae exputari possunt causae. Si nostram inscriptionem consideramus, in qua Priapus ipse se *custodem sepulcri* vocat, eodem sensu hoc accipi potest, quo saepissime *custos horti*, *ruris* vel *agelli* idem vocatur deus. Atque hoc eo facilius fieri potuit, cum saepissime circa sepulcra horti essent, ut Trimalchio ille vult omne genus pomorum circa cineres suos esse et vinearum largiter (Petron. 71), ita ut plane suo loco deus positus esse videatur. Quamquam enim dubitari nequit, quin ab initio longe alia de causa huic deo hortorum agrorumque tutela commissa sit, quam quae postea a poetis lascivis et sine dubio etiam a populo iocoso ficta est, potuit tamen in universum deus custos haberi et coli. Nam sicut illud signum, quod in Priapo praecipue colitur, omnino fecunditatis, ut matrimonii, ita agrorum symbolum erat, et ea, quae dedit, etiam conservare atque tueri putabatur (cf. Klausen, Aeneas II, p. 756 sq.), ita Priapus, qui non hortorum modo et ruris fructum dedit, sed omnem vitae proventum (cf. Klausen l. l. I, p. 86), eorum tutelam quoque contra fures et fascinationem suscipit. Hic considerandum est, non solum horto et foco, ut ait Plinius (XIX, 4, 19), dicata esse satyrica signa, sed ubique fere phallicis signis diversa aedificia ornasse antiquos, haud raro additis inscriptionibus, quae nobis tamen saepe novas difficultates creant. Tales phalli, interdum singulari modo efficti, reperti sunt in muris Allatrii aliarumque urbium antiquissimarum (cf. Dodwell, Views tab. 92. Ann. Inst. I, p. 65. IV, p. 247 sqq.), in aquaeductibus (Millin voyage dans le midi de la France IV, p. 209), amphitheatris (Millin l. l. IV, p. 222 sq.) et in aedibus privatis. Inter inscriptiones notissima est Pompeiana illa: HIC. HABITAT. FELICITAS, quae cum primo a multis pro

signo lupanaris habita esset, post dissertationem Arditii (Il fascino e l' amuleto contro del fascino presso gli antichi. Nap. 1825), quam inspicere iam nequeo, contra invidentium effascinationes composita esse hodie ab omnibus fere censetur. Simili ratione inscriptionem Acrensem, quae phallo alato addita est: *ΚΑΙ CY* (Iudica, antichità di Acre t. 16, 3), alteramque, quae in gemma Stoschiana phallo item alato subscripta est: *ΤΗΔΕ*, ingeniosè explicare conatus est Th. Panofka (Hyperb. Röm. Stud. p. 317 sq.), quibus iam tertiam addere licet, quam in insula Thera observavit Lud. Rossius (Reisen auf den griech. Inseln des aeg. Meers I, p. 64). Ibi enim in fragmento muri cuiusdam phallus sculptus est addita inscriptione: *ΤΟΙΣΦΙΛΟΙΣ*. Idem vero in monumentis sepulcralibus quoque usum habuisse videmus, ubi phalli imago praeter inscriptionem ad mortui memoriam pertinentem insculpta est (v. Osann. syll. p. 300). Cum in alia inscriptione honoraria, quae a solita formula *ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ* incipit, addita sit phalli imago (Osann. syll. p. 308), ingeniosa coniectura Th. Panofka (Ann. Inst. I, p. 310 sq.) huc retulit *Tychonem* daemona ithyphallicum, quem eundem cum Priapo esse affirmat Diodorus (IV, 6), cum alii eundem esse ac Mercurium, causa patente, dicerent (cf. Meurs. lectt. Ath. II, 14). Sed cum ista inscriptio hermae insculpta sit (Boeckh C. I. n. 189, p. 320), aliam ibi explicationem habet phalli imago. Poterat autem Panofka in rem suam vertere anaglyphum perquam memorabile a Bertolio editum (Antichità d'Aquileja p. 33). Ibi enim hominem videmus, qui superne in phallum ingentem alis instructum desinit, adstante Fortuna, quae solitum gubernaculum tenet, illum ipsum igitur Tychonem, cum dea, a qua nomen ducit, coniunctum. Patet iam, ut per deum iram obsecrare solent homines, qui titulos sepulcrales posuerunt, ita signum vel statuam eius dei sepulcris appositum fuisse, qui non modo manus furaces, sed etiam malos oculos invidiosasque linguas coercere atque avertere potuit, cuius tutelae, quicquid incolume servari quam maxime cupiebant homines, committere solebant. Itaque nescio an eadem ratione intelligendum sit, quod in insula Thera Priapi statua una cum Hecates collocata erat (Ross, Reisen I, p. 61), cum illa dea prae ceteris magicis artibus praeesset; potuit vero etiam cum Hecate dea inferorum arctius coniungi. Quae res, licet gravissima, at altioris indaginis nec huius loci, hic breviter tantum potest commemorari. Scilicet antiquitus ipsius phalli signa cippi loco in sepulcro posuerunt veteres, quorum sicut in mythis mentio,

ut in Osiridis et Prosymni (cf. locos apud Prellerum Dem. u. Pers. p. 212 et Zoegam de usu et orig. obelisc. p. 213 sqq.), ita hodieque quaedam exstant, inprimis Oscis inscriptionibus instructa, eodemque recte, ut mihi videtur, Panofka sepulcrorum monumenta in modum coni formata retulit (Ann. Inst. I, p. 309 sqq.). Hoc signo enim, cuius in locum postea demum cippus, columna, herma successerunt, quemcunque locum sacratum et sub dei tutela positum putarunt, notarunt, hoc dei ipsius signum fuit. Itaque prae ceteris in sepulcris et terminis hoc signum erexerunt. Quodsi quaerimus, qui dii hoc modo potissimum culti sint, invenimus Mercurium atque Bacchum. Atque hi ipsi sunt, qui cum naturae divitias hominibus impertiant, et frugum pecorumque laetum proventum efficiant, simul inferorum dii coluntur, itaque iis potissimum sepulcra sacrari, eorum ibi signa poni consentaneum est. Eorum autem cultus temporibus labentibus magna ex parte mutatus est, et quamquam non is sum, qui contendat, eorum locum postea occupasse Priapum, tamen simili ratione factum esse puto, ut Priapo, qui naturae fecunditatem significat et hortis praeest, sepulcrorum tutela committeretur. Ita Venus, quae naturae germinanti et efflorescenti praeest hortorumque et ipsa dea est, eadem etiam Libitina est, inferorum et sepulcrorum dea. Haec omnia breviter monenda duxi, quia difficillimum est statuere, quorsum talia monumenta his praesertim temporibus interpretari debeamus, ubi magis magisque diversissimarum religionum confusio augebatur, gliscente in dies superstitione et lascivia. Ita saepissime vix potest diiudicari, qua mente monumentum aliquod accipiendum sit, ita ut omnia, quae in censum venire possint, accuratius considerare cauti sit hominis. In hac ipsa nostra inscriptione cum quaedam, ut *destricto pene* et *custos sepulcri* ad carminum illorum, quae Priapeiorum nomine satis nota sunt, facetias et lasciviam accedere videantur, ea tamen, quae finem faciunt, *mortis et vitai locus*, ut antiquum colorem habent, ita cum gravitate monere videntur, eiusdem esse dei, vitam dare et auferre; eodem numine quotannis terram emortuam in vitam revocari, ut laeta efflorescat, et hominem e vita avocari.

PENE. DESTRICTO. Metaphora a gladio eo facilius duci potuit, cum alibi deus ipse hoc telum suum vocaret (Priap. 8, 14), et notus usus *teli* sit (Ruhnk. ad Rut. L. p. 259 sq.). Caeterum quae in omnibus fere verbis similibus lis commovetur inter grammaticos, ea in hoc quoque agitatur, utrum *destrin-*

gere an *distringere* scribendum sit, quae ex codicum auctoritate vix poterit diiudicari. Cum autem in ea fere sententia fuissent VV. DD. (recensui eorum apud Heindorfium ad Hor. Sat. II, 1, 41 adde Oudend. ad Apul. Met. III, p. 178. Cort. ad Luc. VII, 313 cl. Schaef. ad Plin. epp. II, 14, 1. Gernh. ad Cic. off. III, 31, 112), ut *ensem destringi* putarent, contra docere conatus est Heindorfius l. l., *distringendi* verbo in hac re opus esse, quod tamen non persuasit nec aliis, nec Schneidero (ad Caes. B. G. I, 25), nec Lübkero (ad Hor. od. III, 1, 17), qui diversis utuntur argumentis. Quae cum ita sint, hoc exemplo auctoritatis non dubiae uti iam possunt VV. DD.

P. 28. n. 29. VIRGINEBVS. Vocales I et E saepissime inter se confunduntur, et lingua rustica inprimis *e* vocalem posuit, ubi *i* pronuntiare receptum fuit cf. Varr. R. R. I, 2, 14; 48, 42. Fest. v. *amicitiae*. Quintil. I, 4, 17. Huius confusionis exempla luculenta in inscriptionibus praesertim antiquioribus reperiuntur; memorabilis hac quoque re est lamina aerea, quam accurate nuper edidit Massmannus (libellus aurarius p. 40). Nostro exemplo prorsus convenit TEMPESTATEBVS in inscriptione secunda Scipionum (v. Visconti, opp. var. I, p. 38. tab. V, A).

SOLV. POEN. De his poenis, quae iis imponebantur, qui sepulcrum violassent aut contra voluntatem eius, qui aedificaverat, eo usi essent v. Marinium (Iscr. Alb. p. 73 sqq.). Solvebatur haec poena plerumque arcae pontificum (cf. Gutberleth opp. p. 129 sqq.), interdum etiam, ut hic, virginibus Vestalibus, v. Grut. 861, 13. Murat. 173, 1.

P. 28. n. 30. DEOS. SENTIAT. IRATOS. Deorum iram iis, qui locum sacratum violare aut iniuria afficere velint, inscriptionibus appositis imprecari solent. V. Grut. 826, 7 (Or. 4789). Cf. Fabretti II, 270. Osann. syll. p. 494. Fea ad Hor. A. P. 471. Plum. ad Pers. Sat. IV, 27.

B. INSCRIPTIONES COLUMBARII MAIORIS.

Inscriptiones, quas iam publici iuris facio, repertae sunt in columbario, quod in vinea, quae e porta Latina egressuro a dextra ingressum habet, idem vir de antiquitatis cognitione optime meritus, *Campana* mense Aprili anni MDCCCXL detexit. Excellit autem hoc columbarium inter ea, quae servata sunt, non minus magnitudine, quam pulcritudine, et cum sedulo curatum sit, ut in posterum tempus conservetur, ii, qui

Romam visitant, columbarium ipsum poterunt spectare, cuius nunc ideam ex tabulis Bartolii, Fabretti, Bianchini, Gorii concipere debemus, adhibita brevi descriptione, quae in diario instituti archaeologici data est (Bullett. 1840 p. 135 sqq.)

Parietes huius sepulcri, quod unum idque amplissimum conclave habet, zophoro ornati sunt, qui aviculas inter arbores et plantas vagantes non sine arte pictas exhibet, infra eum positi sunt tituli. In medio autem sepulcro ingens columna vel pila turris instar exsurgit, cuius quatuor latera inscriptionibus figendis satis amplum spatium praebebant. Haec omnia quin Campana in opere suo splendidissimo tabulis illustraturus sit, non dubito, quo opere cum uti non potuerim, hac brevi indicatione contentus esse debui. In exscribendis titulis is ordo servatus est, ut ab imo procederetur ad altiores, et ita quidem, ut a sinistra eius, qui titulos observat, dextrorsum progressus fieret. Initium factum est ab eo pariete, qui intranti adversus est, qui titulos 1—25 capit, secundus tit. 26—58, tertius tit. 59—93, quartus tit. 94—125. Hos excipiunt ii tituli, qui in gradu fixi sunt, qui totum conclave ambit, tit. 126—132, qui omnes ita comparati sunt, ut in medio pateram effictam habeant floribus ornatam. Denique sequuntur inscriptiones, quae in magna illa pila positae sunt, cuius primum latus tenet tit. 133—160, secundum, quod multo minus latum est, tit. 161—165, tertium, quod primo oppositum est tit. 166—184, quartum denique tit. 185—187.

Praeterquam quod haud pauca sunt, quae vel nova vel certiora ex his inscriptionibus edocemur, non minimum pretium earum in ea re ponendum videtur, quod commercium, quale in sepulcris ollisque vendendis, emendis, donandis locum habuit, haud paucis exemplis melius illustrant, quare commodum facere putavi, si ea, quae huc pertinent, colligerem et uno obtutu lectori lustranda praestarem. Aliter enim res fuit in iis sepulcris, quae quis sibi familiaeque suae comparavit, in quae alienorum corpora inferre vetitum fuit non minus quam sepulcra vendere, atque in iis, quae vel complures societate facta, ut iam vidimus, vel unus eo consilio aedificarunt, ut singulis sepulcra venderentur. In his enim liberum fuit commercium, et quivis sic ut libuit vel loci ratio tulit ollas sibi comparavit, quas aliis rursus donare aut vendere potuit. Solet autem accurate indicari in titulis numerus ollarum, et a quo et quo iure nactus sit qui titulum posuit. Ubi sunt *ollae continuae* semel tantum, quod sufficit, numerus additur v. n. 55

cf. Fabr. II, 48 sqq., eandemque in rem additur etiam *linea perpetua* cf. Fabr. II, 42. 46. 47. Vignoli, Inscrr. sel. p. 283. Marini, fr. Arv. p. 302. Ubi diversis locis positae sunt ollae, aut in unoquoque titulo numerus ollarum repetitur cf. n. 37. 81. 94. 102 (ubi *Tediae Feliculae* VI ollae numerantur, cuius tamen duo tantum tituli exstant), aut in uno tantum ollae numerantur, in ceteris nomen tantum ponitur. Ita *M. Perperna Aeschinus* tres ollas emisse dicitur n. 18, et revera in duobus aliis titulis nomen eius legitur (n. 3. 9). Invenitur etiam idem nomen diversis titulis repetitum nullo ollarum numero addito, ubi tamen ponendum est, tot locos ab eo sibi comparatos esse. Ita *Q. Nasidi Diogenis* nomen quater (n. 66. 67. 75. 76), *Ti. Claudii Secundi* ter (n. 133. 147. 148), *Erotis* (si semper idem est) quinquies (n. 60. 134. 138. 142. 165) repetitum legitur. Contra multi inveniuntur tituli, qui indicant, complures ollas emtas esse, cum tamen nomen non legatur repetitum, quae res diversis modis potest explicari cf. n. 16. 30. 72. 85. 87. 105. 106. 114. 123. 176. 183. Quod alias saepissime invenitur, numerum *columbariorum* adscribi, id in hisce titulis semel tantum factum est, n. 164, ubi ollarum numerus deletus est. Quamquam enim columbaria binas ollas continere solebant, non desunt tamen exempla, ubi plures continebant, unde de numero supplendo certo statui non potest, cf. Marini fr. Arv. p. 695. Saepe autem non contenti ollarum numerum adiecisse, praeterea, ne qua confusio nec controversia oriri posset, locum etiam accurate indicarunt, ut n. 114 *ollae duae gradu tertio ab imo*. Ita saepissime ollae *superiores* et *inferiores* discernuntur (Marini fr. Arv. 233. 611. 710. 716), et *pars sinistra* et *dextra intrantibus* (Marini l. l. p. 265, Cardin. diplomi imp. p. 258 n. 504), et in quibusdam sepulcris unaquaeque olla suum numerum habebat (Marini l. l. p. 185). Praeter ollas et columbaria etiam *aediculas* faciebant i. e. concava loculamenta, ut ait Fabretti p. 54, ad ea ossuaria quae defixa non erant, ut solebant defigi ollae; exempla vide apud Marin. l. l. p. 233. 529. 635. 695. Cf. n. 90, ubi notatur, tribus aediculis unum titulum adiectum esse.

Si quis igitur locos quosdam in sepulcro sibi comparaverat, is suo iure utebatur, et eos aliis donavit (n. 130. 166. 170. 171), vel legavit (n. 50), vel vendidit, quod in titulo plerumque accurate indicatur. Invenimus igitur in his inscriptionibus nomina eorum, qui ollas vendiderunt*) haec:

*) Cum utrumque dicatur *emere ab aliquo* et *de aliquo*, illud

T. Apidius Laudatus n. 39.
L. Aufidius Apollonius n. 8.
M. Aemilius Flaccus n. 114.
C. Cacurius Pamphilus n. 168
Coscellius n. 41.
Lucana Festa n. 39.
Lucceius Auctus n. 17. 174.
Mamilius Epaphra n. 122.
Pian. .(?) Eros n. 18.
L. Pinarius Rufus n. 38. 39. 84. 158.
Porcius Philargyrus n. 38.
C. Septimius Gemellus n. 5.
Survius Rufus n. 39.
Vettius Felix n. 87.
L. Viriasus Lalus n. 158. 171.

Et fuisse hoc iustum quoddam commercium, non modo eo demonstratur, quod diversis hominibus idem ollas vendidit (n. 17. 174), sed eo consilio quidam ollas emisse videntur, ut aliis venderent. Demonstrat hoc praeter alia quaedam (n. 39) *L. Pinarii Rufi* exemplum, qui a diversis hominibus *Porcio Philargyro* (n. 38), *Survio Rufo* (n. 39), *L. Viriaso Lalo* (n. 158. 171) ollas coemerat, ut iterum venderet, unam etiam alicui donaret (n. 171). Vendiderunt autem *ius monumenti*, v. ad n. 8, quod ita explicandum videtur, ut interdum non ipsa columbaria ad ipsum usum perfecta vendita sint, sed locus tantum certus in pariete cum iure, eum ita praeparandi, ut ollas recipere possit, ubi tempus utendi venerit. Ita in christianorum catacombis factum videmus, ut in parietibus loca sepulturis designarentur, ipsa sepulcra tum demum excavarentur, ubi usus postularet (Beschreibung der Stadt Rom I. p. 366.). Similiter etiam in columbariis factum esse probabile est. Eodem modo explicandum est, si legimus *ius sarcophagi* donatum esse (Marini fr. Arv. p. 690), non ipsum sarcophagum, sed ius sarcophagum ponendi.

Quodsi de tempore huius columbarii quaeritur, non errabit credo, qui id temporibus priorum Caesarum, inprimis Claudii in usu fuisse ponit. Eo enim ducunt praeter multos libertos, qui *Ti. Claudii* nomen ferunt, de quibus index nominum

---

bis tantum in nostris inscriptionibus (n. 5. 39), hoc vero saepius invenitur (n. 8. 17. 18. 38. 39. 41. 72. 84. 87. 158. 168. 174), cf. Reisig, Vorles. p. 721.

conferri potest, *Ptongus Ti. Claudii Caes. Aug. ser.* (n. 6); *Ti. Claudius Caesaris numunculat.* (n. 143.); *Frasinus Caes. N. ser. adjutor* (n. 121), ubi Claudium intelligendum suadet *Claudiae* coniugis nomen; *Claudia* denique *Aug. lib. Nereis* (n. 35). Ad *Tiberium* potius referendus videtur titulus 107, et *Eutychus Ti. Caesaris* (n. 140), ad *Neronem, Eros Ti. Claudii Neronis* (n. 60. 134. 138). Titulus 13 autem non potuit ante *Galbae* tempora poni, cum in eo *legionis I adjutricis* mentio fiat, quae ab hoc imperatore instituta est. Ad haec igitur tempora omnia ducunt, unde argumenta deduci possunt, quamquam semper tenendum est, in sepulcro etiam posterioribus temporibus potuisse aliquos condi iisque titulis poni. In universum autem hoc monumentum priorum Caesarum temporibus, uti iam dictum est, satis certo adscribere possumus.

P. 28. n. 1. l. 1. PLOPLASTENI. Hanc veram nominis formam esse, vix possum credere; videtur potius PROPLASTE fuisse, sed scalptoris vitio an consuetudine prava corruptum sit, non ausim diiudicare. Notanda autem est dativi forma. Saepe enim observari potest, nomina feminina graeca primae declinationis genitivum et dativum non ex regula formare, sed in *enis* et *eni*. Ex innumeris exempla quaedam apposui. Nominum *Tyche*, *Aphrodite*, *Euterpe*, *Chreste*, *Nice*, dativi leguntur *Tycheni* (Marini, Iscr. Alb. p. 109), *Aphroditeni* (Cardinali, Iscr. ant. ined. 344), *Euterpeni* (l. l. 130), *Chresteni* (l. l. 136), *Niceni* (Gori, Columb. Liv. Aug. p. 172, 155). Similia sunt *Rodineni* (Osann. syll. p. 489, 33; *Rodine* invenitur infra n. 115), *Thelgeni* (Cardinali, Iscr. ant. 347), *Nicareteni* (Cardinali, diplomi p. 254, 483), *Zosimeni* (Murat. 1311, 4; exscr. *Kellermannus* Romae in villa Altieria), *Amoibeni* (infra n. 110.) Addo duas inscriptiones, quarum priorem Romae in aedibus Lancellottiorum in *Kellermanni* usum ex cippo marmoreo descripsit Scheppig:

D. M.
AVONIAE CRHESIME*)
NI. SEX. AVONIVS
IOSIMVS**) CONIVGI
BENE MERENTI FECIT
VIXIT ANNIS LXVIII
MENSIBVS VII
DIEBVS X
B' B' D. M. R***)

alteram ego Neapoli in museo Borbonico:

P. TVRPILIVS
P. L. EROS
HOC. MONVMENTVM
FECIT. SIBI. ET. SVIS. ET. EIS.
QVI INFRA. SCRIPTI. SVNT
VIVIAE. D. L. APPIAE
Q. ATTIO. Q. L. NESTORI
VIVIAE. D. L. THYMELENI
Q. ATTIO. Q. L. FAVSTO

Est etiam, ubi huius rei negligentia in errorem induxerit. Edidit Osannus (syll. p. 530, 3) hanc inscriptionem:

AELII. GAMICENI. SORORI
QVAE. VIX. ANN. XVIIII. M. VI. D. XIIII
AEL. MARCELLINVS. FRATER
B. M. F

et annotavit, fragmentum videri, cum defunctae nomen desit, contra quem recte monuit *Kellermannus* in schedis, legendum potius esse AELIE ut omnia recte procedant. Aliud afferam exemplum, quo idem V. D. similiter errasse mihi videtur. Legitur in eius sylloge (p. 375, 48) sequens inscriptio:

---

*) Litterarum similiter transpositarum exempla v. apud Marin. fr. Arv. p. 340.

**) Forma I pro Z in Graecis inscriptionibus frequens, nescio an alibi in Latinis reperiatur. Inveniuntur interdum in titulis Latinis litterae Graecae e. g. *Λ*, *P* pro L et R cf. Hagenbuch de dipt. Brix. p. CC.

***) Quid significent B' B' haud quaquam certum est, cf. Hagenbuch, dipt. Brix. XCIV. Marini fr. Arv. p. 638. Osann, Zeitschr. f. A. W. 1839 p. 518; nec quid de reliquis D. M. R statuendum sit scio. Fortasse legendum D. M. S., quod interdum in fine tituli legitur.

V v L v CORNELIVS
SISENNAE > LIBERT
HILARVS > MIN > SIBI < ET
Θ AVGENI > L > ET >
C > PAPIRIVS > C > L > HERMO
LICTOR
INFR > P > XV IN > AGR > P > XX

Valde memorabilem scripturam ΘAVGENI dicit propter Graecum Θ, ceterum comitem de Clarac recte monuisse (descr. du musée du Louvre n. 674), *Thaugenis* dictum esse pro *Theognis*. Iam vero apparet, V, quod initio tituli scriptum est, et Θ eo modo posita esse, de quo supra dictum est p. 54, restat igitur AVGENI, dativus nominis AVGE. Aliter etiam formatus est dativus nominis *Zosimiane* in hac inscriptione, quam *Kellermannus* Romae in villa Altieria exscripsit:

D ♁ M ♁
ZOSIMIANETI
CONIVGI BENE
MERENTI CIN
NAMIO MARIT
VS POSVIT

l. 2. STATOR. AVG. Cf. Oderici, syll. vet. inscr. p. 191, 16 (Or. 3524); Kellermann. vigil. Rom. p. 61, 199. 200. et infra inscr. Kellerm. n. 6.

P. 28. n. 2, l. 1. DECIMVS, in apogr. est DECIMIVS.

P. 29. n. 6, l. 1. PTONGVS cf. n. 181 MELIPTONGO.

P. 29. n. 8, l. 2. EMIT.... IVRIS. MONVMENTI. Singularis ratio dicendi, cum alibi dicatur *emere ius*, n. 122. vel *quod iuris fuit*, n. 158. et in duabus inscriptionibus, quas apponam, quia in diario Italico edita sunt, quod hic terrarum raro invenitur.

..... AE. C. L. HEDO ....
TERTIA. ET. QVOD. IVRIS. FVIT. P....
FORTVNATI. QVOD. PERTINET. AD...
ELIFRIAM. PRIMIGENIAM*) PRO PA...
EMANCIPATVM. P. VESCLARIO. P. L. FE .
FECERVNT. SIBI. ET. SVIS LIBERTIS. LI .
POSTERISQVE. SVORVM. OM ..

[A. 1819 effossa in via Praenestina ad turrem sapientiae, edita in giorn. Arcad. 1819, I. p. 71.]

*) l. ELI. PRIAMI. PRIMIGENIANI.

L. SERVAEVS. LONGINVS
Q. APPVLEIVS. PHILADESPOTVS
L. LVCANVS. RVFIO
L. AEMILIVS. HERMO
M. VOLVMNIVS. PRIAMVS
L. MANLIVS. SILO
A. GRANIVS. PHILOMVSVS
C. VEIENIVS. STABILIO
M. FLAMINIVS. MENOPHILVS
Q. POMPEIVS. EROS
Q. APPVLEIVS. EVTHVCHVS
C. PLOTIVS. FELIXS
ANVLENA. PELORIS
T. VETTIVS. T. L. PHARNACES
L. LICINIVS. EVCRATES
M. TVRIVS. CALLISTHENES
APPVLEIA. CLARA
SEX. LIVIVS. FAVSTVS

Q. VARIVS. THEOGITO
VERGINNEIA. L. L. IRENA
LVCANA. ZOSIMA
L. COCCEIVS. RVFIO
L. GAVILLIVS. SECVNDVS
P. APPVLEIVS. FELIXS
SEX. QVINTILIVS. APHRODISIVS *)
SPEDIA. CHRESTE
FABIA. HELENA
L. FVRIVS. PHILOTECNVS
C. VITELLIVS. HILARVS
T. ANNIVS. ALEXANDER
ANNIA. ILIONA
SEX. QVINTIVS. Q. F. POL.
L. VETTIVS. THALIARCVS
L. Q. S. S. S. H. M. PER FECER

M. RVTILIVS. SP. F. COL. NIGER
EMPTOR. ADIECTIS. PARTIBVS
IVRIS. Q. APPVLEI. EVTYCHI
C. APPVLEIVS. Ↄ. L. DOLICVS. IN. PARTE *)
IVRIS. P. APPVLEI. FELICIS
M. CASTRICIVS. MYSTICVS

[Exstat Romae in vinea Ammendolae, edita est in Melchiorri et Visconti syll. p. 6, ubi vitiose I, 14 FL. pro T. L; II, 1 THEOCITO; 5 CAVLLIVS legitur, et p. 35. additur III, 4 in lapide legi C. APPVLEVIVS. Ↄ. L. Rectius edidit Amati (Giorn. Arcad. XXVIII. p. 347). *) Haec: DISIVS et PARTE, in ipsa inscriptione cum antecedentibus uno versu sunt coniuncta.]

Ex his aliisque similis generis exemplis h. l. servatus videtur genitivus *iuris*, quamvis non suo loco, nam quod alibi invenitur *monumentum sui iuris* (Grut. 518, 4. Fabr. 264, 94) omnium minime huc pertinet. Omnino saepissime potest observari, eos, qui titulos composuerunt vel inciderunt, cum semper fere in formulis observandis versarentur, saepe ita eas adhibere, ut magis sonum consuetum in auribus, quam sensum in animo habuisse putandi sint.

P. 29. n. 11. Primae duae lineae obliteratae sunt, ita tamen, ut legi possint.

P. 29. n. 12, l. 1. VERGILIVS. Hanc nominis formam inscriptionibus frequentatam (cf. Osann, Zeitschr. f. A. W. 1840. n. 144) e codd. quoque antiquissimis nuper vindicavit Wagner, orthogr. Verg. p. 479.

l. 4. LAVDICA. v. n. 20 LAVDICE cf. Grut. 576, 7. (Osann. syll. p. 469, 16), Vignoli, Inscrr. sel. p. 250. Solent Romani *au* pro *ao* ponere, ut *Laumedon*, *Laucoon*, *lautamiae* (quod apparet ex ioco apud Senecam exc. controv. IX, 4 p. 483. Bip. cf. intpp. Liv. XXVI, 27, 3), *Laudicea* (quo referendum puto iocum notissimum apud Plin. epp. II, 14, 5 cf. Hagenbuch epp. epigr. p. 385 sq.), *Laudamia* cf. Weichert, poett. Latt. rell. p. 76 sq.

P. 29. n. 13. Signum, quod neque h. l., neque p. 49, n. 5, neque p. 56 a typographo accurate expressum est (§), folium potius exprimit (ϟ). De cuius significatione olim ineptissima somniarunt interpretes inscriptionum, ut e. g. putarent, significare cor transfixum ad dolorem exprimendum, quod quam vanum sit, apparet e magna exemplorum vi, ubi de nulla re tristi agitur et tamen hoc signum positum est, nec dubium esse potest consideranti, antiquos nunquam his lusibus indulsisse, quibus recentiores artifices atque poetas deditos esse videmus, qui cordi partes tribuunt valde alienas a mente antiquorum, qua de re monuit Böttigerus (Ideen z. Kunstmyth. II, p. 251 sq. 464 sqq.). Nec magis aptum est, quod alii putarunt, significari *etc.*, vel simile quid. Verum si quis plura scire cupit, adeat Cardinali, intorno un antico marmo christiano (Bonon. 1811 p. 11). Hodie nemo dubitat, quin signum interpungendi sit haud minore cum libertate a lapicidis usurpatum, quam alia cf. Fabretti, III, p. 118. Boldetti, osservaz. p. 274 sqq. Lupi, Sev. epit. p. 53 sqq. Mayer, lanx satura p. 74 sqq. Lupuli in mut. vet. Corfin. inscr. p. 181 sq. R. Rochette, 2 mém. sur les antiq. chrét. des catac. p. 46.

l. 2. ATTO. Idem nomen est apud Grut. 903, 3.
CAPITO. ATTIVS
ATTONIS. F.
N. F.
cf. Lehne, gesammelte Schrr. II, p. 297, 272, p. 363, 312. Cardin. dipl. imp. p. 324, 622. Reines., synt. XII, 97 p. 681, qui recte annotat, videri nomen Germanicum; cf. Hagenbuch, epp. epigr. p. 255 sq.

FR. i. e. *frumentarius* cf. Kellerm. vig. 293. 294. 296 etc. De iis cf. Salm. ad Spart. Hadr. 11 p. 103 sqq. Reines. Synt. p. 35.

l. 3. LEG. I. AIVTRICIS. *Legio prima adjutrix* Galba imperatore constituta est, et maximam partem, ut ex inscriptionibus multis concludi licet, in Germania stationem habuit, cf. Lehne, ges. Schr. II, p. 69 sqq. n. 135—143, et doctam de hac legione disputationem Cardinali (diplomi p. 39 sqq.). Forma *adiutrix* utrum culpa scalptoris, qui *d* omiserit, nata sit, an usui quotidiano ascribenda, qui fortasse propior erat hodierno Italorum sermoni, quo *aiuto*, *aiutare* dicunt, pro certo non affirmaverim. Quod Donatus ad Terentii Adelph. prol. 16 affert e Pacuvio: *adiuta mihi*, id ita citat Nonius: *aiutamini* pro aiutate. Pacuvius in Chryse: Aiutamini et defendite.

l. 5. LEG. X. GEM*inae* cf. Lehne l. l. p. 46. Cf. Grotefendi historiam legionum Romanorum (Zeitschr. f. A. W. 1840. n. 97 sqq.).

COLLE i. e. *collegae*, quod nec in inscriptionibus militaribus rarum est. Cf. Grut. 441, 6. 571, 8.

P. 29. n. 15, l. 2. STRATOR cf. Murat. 930, 1 (949, 9); 938, 4. Fuit is, qui equi ornandi curam habebat et domino equum ascendenti auxilio fuit. cf. Salm. ad Scr. H. Aug. t. I p. 718 B.

PECVLIARI*s*. Servos peculiares, quos in Caesarum familia semper fere observari notat Marinius, loco Suetonii (Caes. 76.) adhibito tradidit Turnebus (Advv. II, 27), oppositos publicis, Caesarum proprios fuisse, eumque secuti sunt cum Fabrettio (p. 336) alii, v. Marini fr. Arv. p. 297. Et habemus *stratorem cons.* (Grut. 631, 8. Orell. 3523. Lehne l. l. II, p. 388, 331), *stratorem praet.* (Fabr. 675, 22. Orell. 3250), *stratorem aedil.* (Orell. 1584); hunc nostrum autem ad familiam Caesaris referendum esse, ipsum nomen docet. Alii putant, peculiarem esse servum, qui peculium ha-

beat, ideoque maioris dignitatis sit, quam ceteri conservi, qui eo carent; v. Forcellini lex. s. v. *peculiaris*.

P. 30. n. 18, l. 3. DIANI apogr.

P. 30. n. 24, l. 2. AMATOCVS nomen Thraciae originis est, ut notissimum *Spartaci*, quod *Σπάρδοκος*, *Σπάρτόκος* vel *Σπαράδοκος* scribitur, v. Boeckh C. I. II, p. 109, et *Sadoci* (Thuc. II, 30). Odrysarum rex *Amadocus* olim scribebatur apud Xenophontem hist. IV, 8, 26, ubi nunc e codd. vestigiis *Medocus* (*Μήδοκος*) restitutum est, quia ita apud eundem Xenophontem (anab. VII, 2, 32; 3, 16. 17; 7, 3. 11) et Diodorum vocatur (XIII, 105. XIV, 94). *Ἀμαδόκῳ* legerat Harpocration (s. v. *Ἀμάδοκος*) apud Isocratem (Phil. §. 6), ubi nunc est *Μηδόκῳ*, et Theopompum, eademque forma legitur apud Aristotelem Polit. V, 8, 15 Schw. Eam per se non esse spernendam iam inscriptio nostra docet.

P. 31. n. 33. l. 3. Leg. M. ANTISTIVS. M. L. EL.

P. 31. n. 34. *Valeria Sabbathis* est in inscriptione apud Vignolium Inscrr. sel. p. 238.

P. 31. n. 35. *M. Valerius Futianus* idem esse videtur, qui n. 26 sorori *Valeriae Futianae* titulum inscripsit; quodsi idem cum *Valeria Tryphaena* inscriptionem fecit in memoriam matris, quae et ipsa *Tryphaena* vocata est, fortasse non iniuria statuere possumus, eum fuisse maritum *Valeriae Tryphaenae*.

P. 31. n. 36, l. 1. MALIVS alibi quoque invenitur, Oliver. Marm. Pis. 90.

P. 31. n. 37. Cf. n. 81 ubi totidem verbis repetita est. Utrobique l. 2 nomen erasum est, ut legi non potuerit. Hic per errorem post l. 2 omissum est

SVAE. ET. LIBERTIS

P. 31. n. 38, l. 2. LVCER quid significet, non intelligo.

l. 3. PINARIO. R. i. e. *Rufo* cf. n. 39. 158. Num forte haec inscriptio ab altera parte mutilata est?

P. 32. n. 39, l. 1. PANTIA errore typographico scriptum est pro RANTIA.

l. 2. XIII. ita apogr. XIIX. ed.

P. 32. n. 41. Nota formam in *os* in vv. graecae originis. Diversum est n. 104 *Cervos*, cf. Niebuhr ad Cic. p. Rabir. p. 76.

P. 32. n. 42, l. 3. OSSVA. De hac forma v. Spon. misc. p. 295. Marini Iscr. Alb. p. 116. Osann. syll. p. 497, 1. Cardinali, dipl. imp. 2, 11.

P. 32 n. 44, l. 1. SEP. num leg. SER?

P. 32. n. 47, l. 1. RELICIAE. *Reliquiae* ossa significant aliis quoque inscriptionibus (Orell. 794. 1175). Scribendi ratio, quae nescio an alibi inveniatur, facilis est explicatu, si meminerimus, *reliquus* antiquitus scriptum fuisse *reliqus* et *relicus*, cuius orthographiae alia exempla suppetunt haud pauca, cf. Beier. ad Cic. or. fragmm. p. 13, 69 sq. Simillimum est *Cintus* pro *Quintus*, Grut. 918, 20; *sicis* pro *siquis*, Grut. 1056, 1; *posterisce* pro *que*, Vignoli, Inscrr. sel. p. 289.

l. 4. LEBIS. B et V, quae serioribus temporibus tantum non semper confunduntur, praecipue in inscriptionibus christianis, etiam tempore antiquiore iam inter se commutari docuit Marini fr. Arv. p. 367 sq.

P. 32. n. 48, l. 2. STATIVS errore calami scripsi pro STAIVS, quae confusio in codd. mss. quoque haud uno loco observata est, cf. Ruhnk. ad Vell. II, 69. Intpp. Liv. X, 20, 13. Ceterum Norisium, qui negaverat, familiam Staiam unquam fuisse inter Romanas (Cenot. Pis. II, 3 p. 274), in viam revocavit iam Ruhnkenius l. l.; accurata doctrina de hac gente agit Labus, intorno varj antichi monum. scoperti in Brescia p. 90 sq. Addendae sunt iam praeter nostram tres inscriptiones Pompeianae de *M. Staio M. F. Rufo* apud Guarini, fasti duumvirali di Pompei p. 71. 89 sq. alia Eclanensis de *N. Staio N. L. Remisso*, ibid. p. 90; et Graecus titulus Capreis repertus (Osann. syll. p. 545, 9).

P. 32. n. 49, l. 2. ABASCANITV apogr.

Post l. 3 apogr. add. VI, omisso, ut videtur, D.

P. 33. n. 54, l. 1. CECIVS nomen exstat in inscriptione Ligoriana apud Gudium 160, 2. Nuper demum famosum factum est disputatione, quae de scholio Plautino orta est. V. Ritschl, corollarium disp. de biblioth. Alexandr. deque Pisistrati curis Homericis. Bonn. 1840. p. 7 sqq.

P. 33. n. 56, l. 2. HILARVS. Cum adiectivi duae formae in usu sint, *hilaris* et *hilarus*, tamen altera nunquam aut certe non nisi rarissime ut nomen proprium usurpatur, sed semper *Hilarus*, cf. n. 72. 87. 178. Utor an abutor hac occasione, nam nomen frequentissimum est, ut inscriptionem ceteroquin satis memorabilem edam, quam *Kellermannus* e tabula marmorea musei Vaticani descripsit. Supra inscriptionem sertum insculptum est et ab altera parte trutina, ab altera parvula quaedam instrumenta (vide tab. lith. adiectam, *a*).

D. M.
HILARO. AVRIFICI
COLLEGIVM. QVOD. EST
IN DOMO. SERGIAE. I... (L. F.)
PAVLLINAE. ITEM. CO..
EX. DOMO EADEM. I...
VIXIT. ANN. XXX. P....
CVRANTIBVS.....
DORCAD.....

Cum hac autem conferendae sunt duae aliae inscriptiones:

HERMEROTI
ARCARIO. V. A. XXXIV
COLLEGIVM
QVOD. EST. IN. DOMV
SERGIAE. PAVLLINAE
FECERVNT
AGATHEMER. ET
CHRESTE. ARESCON
FRATRI. PIISSIMO. B. M
[Maffei, Mus. Ver. p. 256, 4. Or. 2414. Paullo accuratius in museo Vaticano exscripsit *Kellermannus*.]

D. M.
PARDO.*) QVAE. ET
HIARINE**)
COLLEGIVM
QVOD. EST. IN. DOMV***)
SERG. L. F. PAVLLINAE
ITEM. PYRRVS
CONIVGI. B. M. FECIT
[Fabretti 146, 178]

Quale fuerit collegium, quod fuit in domu Sergiae L. f. Paullinae, ex his inscriptionibus, quamvis de aurificum collegio facile cogites, certo tamen non potest evinci. — Paucis iam videamus de signis, quae summo tabulae nostrae marmoreae margini insculpta sunt. Trutinam et coronam coniunctas in lapidibus quibusdam christianis (Aringhii Roma subterr. II, p. 12; 59 ed. Lut. 1659) symbolice interpretatus est R. Rochettus (2 mém. sur les antiq. chrét. des catac. p. 74. sqq.), ita ut trutina ad iudicium vitae mortisque spectet, recte, ut mihi quidem videtur, eodemque sensu etiam apud antiquos trutinae signum adhibitum fuisse docet. Eadem ratione quo minus nostrum lapidem explicemus obstant instrumenta, quae ab altera serti parte sculpta sunt, clareque demonstrant, ex more antiquorum insculpta esse lapidi sepulcrali instrumenta, quibus

*) PARDO nomen femininum a graeco πάρδος, ut DROSO n. 11. a δρόσος.

**) I. HILARINE. De formula *quae. et.* (sc. vocatur) cf. Borghesi, dichiaraz. d'una lapide Gruteriana p. 42 sq. Cardinali, dipl. imp. p. 198.

***) Ablativus *domu* in duabus hisce inscriptionibus addendus exemplis, quae attulit Schneider, Formenlehre d. lat. Spr. p. 448 sq.

defunctus, dum vita frueretur, quam maxime usus est, aurifici autem prae ceteris convenire trutinam, neminem potest fugere. Exempla huius usus, qui etiam apud christianos invaluit, unde factum est, ut postea talia instrumenta pro signis martyrii haberentur, larga manu congessit R. Rochettus (l. l. p. 76 sqq.). Corona igitur non, ut apud christianos, praemium, quod sperat defunctus, significat, sed cum apud antiquos moris fuerit, tumulos et cippos mortuorum floribus et sertis ornare, hunc quasi perpetuum ornatum artis opera repraesentabant. Verum ubi idem V. D. de symbolico trutinae usu apud veteres egit (Mon. Inéd. p. 215) monumento quodam hanc in rem usus est, quod mihi longe aliter explicandum esse videtur. Est apud Maffeium (Mus. Ver. 139, 1) lapis, in quo mortis imago exstat solito more efficta, iuvenis alatus, dormienti similis, qui cubito faci inversae innixus requiescit. Supra hanc imaginem altera est minoris ambitus. In scamno quodam longiore sedet vir togatus trutinam tenens unius tantum lancis (*μονοπλάστιγγα*), sinistra manu examen sustinens, altera pondera per scapi puncta aequans (cf. Casaub. ad Pers. I, 6). Ab altera scamni parte magna rota visitur, quae coniuncta cum scamno esse videtur, verum cum fractum h. l. marmor sit, accuratius nihil potest statui. Denique in ima tabula haec subscripta sunt:

C. FICARIVS
HMHNS

quae iam exstant apud Gruterum (911, 17). Hic igitur R. Rochettus rotam et trutinam symbola mortis et Nemesis agnoscit. Quid de rota statuendum sit, nescio, nec, cum marmor fractum sit, certum aliquid statui posse videtur, trutinam quin symbolice explicem ea re impedior, quia aperte, ut ex iis etiam quae attuli elucebit, vir togatus effictus est ut qui rem quandam trutina examinet, et accuratius inspicienti patebit, lancem rebus quibusdam minutis repletam esse. Inscriptio autem, ni fallor, rectam interpretationem monstrat. Solebant enim antiqui in artis monumentis, inprimis in sepulcris, talia repraesentare, quae ad nomen eius, qui vel fecerat, vel dedicaverat, cuiusve memoriae dicata erant, magis minusve tecte alluderent, et hoc genere ita gavisi sunt, ut nobis quidem saepe pueriliter lusisse videantur. Quae res cum ab antiquissimis inde temporibus usque ad christiana propagata sit, et a multis VV. DD. animadversa, a nemine tamen maiore cura et diligentia pervestigata est, quam ab ipso R. Rochetto (cf.

Mon. Inéd. p. 47 sq. 263. 397. 407. lettre à Mr. le Duc de Luynes p. 33 sq. 2 mém. sur les ant. chrét. p. 67 sqq.). In monumento *C. Ficarii* igitur vir repraesentatus est, qui ficos vendit, nam hoc significat *ficarius*, ut *pomarius*, qui poma vendit, et *pernarius*, qui pernas vendit, et simili lusu factum esse videtur, quamquam eo frigidissimo, ut *Valerius Felicissimus Pernarius* qui imaginem Amoris dormientis (cf. Mülleri arch. §. 391, 6) dedicavit, nomen suum pernae pueri inscribi iusserit.

P. 33. n. 57, l. 3. XIIII apogr. et notat, pone hanc inscriptionem spatium relictum esse alteri titulo inscribendo, et vacuum remansisse.

P. 34. n. 64, l. 1. CAESERNIVS nomen Aquileiae frequentatum cf. Bertoli, antichità d' Aquileja n. 64. 310. 422. 423. 608. 653.

VEL. h. e. *Velina tribu*, cui adscripta erat Aquileia, ut probavit del Torre, ant. vet. Antii p. 338. Cf. titulos apud Bertolium l. l. n. 55. 123. 279. 369. — Ceterae tribus, quae in nostris inscriptionibus inveniuntur, sunt: QVIR. *Quirina* A. n. 5. B. n. 160. et COL. *Collina* n. 70.

l. 4. ROMVLI. Solet addi centurionis nomen, qui ei centuriae praefuit, in qua militavit is, cui titulus positus est. Cuius rei, quam certe non ignoravit, si meminisset Osannus, non correxisset in inscriptione (syll. p. 379, 70) G. MACCENIO. VIB. MIL. COH. I. PR. ⁊ PRIMITIVI, verbum PRIMITIVI in PRIMIPILI, cum omnia recte se habeant, et Maccenius sub Primitivo centurione militasse censendus sit. Hoc signum neglectum turbas etiam dedit Vignolio (Inscrr. sel. p. 310), quae inscriptio ex *Kellermanni* apographo paullo accuratiore ita legenda est:

D . M
AVREL. MVCIANO
MIL. COH. V. PR. ⁊.
BARBATI. MILITA
RE. COEPIT. POMPE
IANO. ET AVITO. COS.
ANN XV. VIXIT. ANN.
XLV. NATVS TREM
ONTIAE. CL. PAVLINA
COIVGI KARISSIMO
EX TESTAMENTO
FECIT

P. 34. n. 72, l. 3. P. CLODIO PHILOLOCO. Ut multa alia eiusdem generis etiam hoc verbum cognomen factum est, cf. Cardinali, dipl. imp. p. 52. Exempla v. Marini, fr. Arv. p. 692. Gori, col. p. 168, 145. Morcelli, de stilo inscr. I, p. 147 ed. Pat. Osann, syll. p. 467, 11. Marini, fasti duumvirali di Pompei p. 42. Adde sequentem, quam e tabula marmorea Romae in aedibus Rondaninis *Kellermannus* exscripsit:

A. OCTAVI. DIOCLIS. ET
A. OCTAVI. DIOCIS. LIB. ET
P. SEMPRONI. FELICIS. ET.
BILLIENAE. SECVNDAE. ET.
P. SEMPRONI. PHILOLOGI

Inde ductum est nomen muliebre *Philologis*, quod in inscriptione legitur, quam ex *Kellermanni* schedis edo, ne quid neglexisse videar, quod in honorem philologiae afferri possit. Est autem in cippo praegrandi insculpta, qui exstat in villa Miollis.

D. M.
DVOBVS CL V CL V FAVSTINO
ET. HERMOGENI. FILIS. DVL
CISSIMIS ET. CL. METTICO. AVO
EORVM. ET. FIRMIAE. PHILOLOGIDI
QVAE. ET. IVLIAE. AVIAE. EORVM. ET
PARENTIBVS. SVIS. IVLIA. TATIN
(Simpulum) MATER. ET. SIBI. ET SVIS. ET. CL. HERMINO (Patera)
PATRI. EORVM. CONIVGI. SVO. PIENTISSIMO
ET. POSTERISQVE. EORVM. QVORVM
NOMINA. SVPRASCRIPTA. SVNT. ITEM
LIBERTIS. LIBERTABVSQVE. SVIS. ET. EORVM. QVI
SVPRA. SCRIPTI. SVNT. POSTERISQVE. EORVM
VTRIVSQVE. NOMINIS. FAMILIAEVE. QVIVE. EX
NOMINE. DOMOVE. EORVM. OMNIVM. ERINT

IN F. P. XXII IN A. P. XVI

[Ex altera parte litteris grandibus atque pulcherrimis scriptum est:]

TI. CLAVDIO
HERMOGENE
FILIO

P. 34. n. 74, l. 2. ABASCANIO. Leg. ABASCANTO.

P. 35. n. 80, l. 3. V om. apogr.; si exstat in lapide legendum videtur CONIV. BEN.

P. 35. n. 81. cf. n. 37.

P. 35. n. 83, l. 1. Leg. AEBVTIVS.

P. 36. n. 87, l. 3. DE. VETTIO. FELICEM. *Vettius Felix* est etiam in inscriptionibus Pompeianis apud R. Guarini, fasti duumv. p. 104. 106. — Accusativus *Felicem* cum praepositione *cum* coniunctus lapicidae tribuendus est. Quod per se verisimile est, et ex Petronio inscriptionibusque quibusdam, Pompeianis praesertim, clare et cum animi delectatione observari potest, etiam apud antiquos homines de plebe litteris non imbutos vitiis gravissimis linguam Romanam inquinasse, id apparet etiam ex titulis sepulcralibus, non solum christianis, in quibus grammatica saepissime pessumdatur, sed antiquioris etiam temporis. Inprimis praepositiones casibus iunctae non suis saepissime inveniuntur, cuiusmodi exemplorum magnam vim congessit Marini, fr. Arv. p. 404 sq. Adde *cum sodales* (Cardinali dipl. p. 53, 70), *a tempestatem* (Gori col. Liv. Aug. p. 176); *ab conservas* in hac inscriptione a Borghesio e codice Urbinate descripta et cum *Kellermanno* communicata:

PHILVSA ANDRAEI LIB VXOR
OLLAM ET TITVLVM
DATVM AB CONSERVAS PEDISSEQVAS

quam paullo aliter ediderat Fabr. 157, 263. Omnium frequentissimum est et fere ius quoddam possessionis nactum esse videtur *cum quem vixi*, tam saepe occurrit (e. g. Marini, Iscr. Alb. p. 113. Lama, guida di Parma p. 66, 43. Guarini, ricerche Eclan. p. 162., ubi *con quem* invenitur, quod in sola inscriptione Grut. 325, 7 legi putavit Osann. syll. p. 467, 10). Cf. haec inscriptio inedita, quam Saturniae exscripsit Ambrosch et cum *Kellermanno* communicavit:

D. M
SABINAE
CARPVS AC
CONIVGIS SVAE
(Avis) INCONPABILIFEC (Vas)
IT. CVNQVEMCVN
VIXIT. ANN. XX. M. V
QVAE VIXIT AN
XXX. M. VI

Inscriptio negligentissime exarata est, ut apparet iam ex v. *inconpabili* pro *incomparabili*, et *coniugis* pro *coniugi*, ita AC

quoque, quod l. 2 legitur, corruptum esse videtur. CVNQVEMCVN inde ortum videtur, quod CVN QVEM scripserat scalptor, cum videret QVACVM exstare in autographo, et hoc modo vitium a se commissum emendare conatus est. *Quem* autem pro feminino positum non hic modo invenitur, sed in aliis quoque inscriptionibus, quae haudquaquam negligenter exaratae sunt, e. g. *remunerandam adfectionem quem, ob benignitatem patris quem* (Murat. 717, 2), in titulis Corfiniensibus, quos inter se comparavit Lupuli (in mutilam vet. Corf. inscr. comm. p. 21), qui ex dialecto Corfiniensium hunc usum explicat. Conferendus tamen videtur antiquior sermonis Latini usus, quo pronomen *quis* etiam de femina dicebatur, cf. Ruhnk. ad Rufin. p. 262. Osann. anall. critt. p. 122. Virgilius (Aen. XI, 822) *quicum* de femina posuit. *Cum qui* adeo legi videtur in sequenti inscriptione, quam *Kellermannus* in museo Vaticano exscripsit, in qua etiam *ab eos* invenies:

CRVDELIS INPIA MA-
TER. CARISSVIS DVLCIS
SIMIS. VET. PVBLILIO POTITO
CV. QVI VIXIT. AN. N. XIII. DI-
LV. ET AERIAEA. ELIAE THEODO
RE. HF. QVE VIXIT. AN. N. XXVII
DI. XLI. INFELICISSIMA MATER
QVE VIDIT FVNVS SVVM.
CRVDELISSIMVM. QVE SI DEVM
PROPITIVM HABVISSE. HOC
DEBVERA AB EOS PATI

Plurima insunt in hac inscriptione, quae lectorem impediant. Quod mater *crudelis et impia* dicitur, videtur conferendum cum inscriptione Orelliana 4651, ubi mater, *dum nimium pia fuit, facta est impia*, quod Hagenbuchius rectius interpretatus esse videtur, quam Burnetus, quamquam huius sententiam probat, qua in re levis Hagenbuchii error est, Walchius (marmor Hispan. ant. p. 82). Hic mater impiam se vocare videtur, quod suorum funus superstes viderit, ut *parentes sceleratissimi* apud Murator. 1187, 2 nullam aliam ob causam, ut puto, vocantur, quam quod filio titulum posuerunt. Exspectes igitur sepulcrum esse positum liberis, et turbare videtur memoria mariti. Quodsi putes, *Vet. Publilium Potitum* esse filium, aliter explicandum esset CV. *Clarissimus vir* tamen, quae est vulgaris harum litterarum explicatio, nec alia suppetit, mirum si dici potuit puer tredecim annorum. Nisi con-

iicias, in numero annorum erratum fuisse, et legendum esse XLII. HF explicari possit *honestae feminae*, ut apud Murat. 717, 2 *honestae puellae*. Puncta etiam perverse posita sunt, l. 4 et 6 AN. N pro ANN. (nisi quis N potius *numero* explicare velit, cf. Hagenbuch epp. epigr. p. 495. L. del Signore, i marmi Ricard. difesi p. 106 sq.) et l. 5 A. ELIAE pro AELIAE; cf. alia exempla eiusdem generis apud Lupuli (l. l. p. 96 sq.) Osann. syll. 582. Cum in huiusmodi monumentis versemur, addo etiam hanc inscriptionem a *Kellermanno* in museo Vaticano exscriptam

NATIO SYRI . . .

☙ D V M ❧
AVRELIOR. CL. ET. ANTIPATER. FRATRIS. ET
MARCELLVS. NEPOS. EORVM. ET. VLPIA REDEM
PTA CONIVGI. ANTIPATRI. MONIMENTVM.
SEVIVOS. FECERVNT. LIB. LIB. QVE. POSTE.
☙ RISQVE. EORVM ❧

ubi quocunque te vertis non te expedies. Quodsi putas *Fratris* intelligendum esse pro *fratres*, et *Aureliorum* iungis cum *D. M.*, restat *coniugi*, quod non habet, quo referatur; et quicquid coneris, confusionem non tollas.

l. 4. SELA. SETA apogr.; fort. SEIA. *Seia Doris* est apud Gruterum 1129, 9.

P. 36. n. 90, l. 3. FAECIT. AE pro E saepius ponitur v. Ind. Grut. cf. Fabr. 107, 253. Osann. syll. p. 356.

AEDICLAS cf. Marini fr. Arv. p. 262.

PARIETE' apogr., lapicida videtur errorem correcturus fuisse supraposito *s*.

P. 36. n. 91, l. 3 BENEMEREN apogr.

P. 37. n. 93, l. 2. CORACINENE apogr.

P. 37. n. 95. Hanc inscriptionem pleniorem ita exhibet apogr.

L. APONIVS APONIA
L. L. NICIA L. L. CHIA

P. 37. n. 96, l. 1. ALEXA. Graecum Ἀλεξᾶς decurtatum est ex Ἀλέξανδρος, ut multa alia similia, cf. Winckelmann ad Plat. Euthyd. p. XL. sq., ut *Dora*, quod etiam apud Grut. 368, 10. exstat, ortum est ex *Dorotheus*. Jam vero notum est, Roma-

nos Graeca nomina in *as* desinentia, ubi sua facere voluerunt, quia haec terminatio usui repugnabat, in *a* potius terminasse, quod in servorum et libertorum nominibus potissimum usu venisse facile intelligitur. Cf. Beatl. ep. ad Mill. p. 519. Reisig Vorles. §. 52. Celebre *Alexae* nomen est in historia scalptorum gemmarum, cf. R. Rochette, lettre à Mr. Schorn p. 34 sq. Erravit igitur Cardinali (diplom. imp. p. 53), cum *Alexa* nominibus femininis annumeret, quibus viri usi sint, inter quae recte recenset *Mama*, quod habes etiam n. 22.

P. 38. n. 104, l. 1. G. ARVL. apogr.

P. 38. n. 107, l. 1. CAESARIS. LVSOR. Conferenda est cum hac inscriptione satis memorabili, altera, quae post tot VV. DD. curas minime explicata haberi potest.

Q. MAGVRIVS. Q. F. FAB
FEROX
LVS. EPIDIXIB. ET. CETAES. I. II. III. IN
GREG. VETVRIAN. QVAE. ET. IVNI
ORVM. A. A. DICAVIT. EVRAS. VIII
ET. PERTIC. VNCINOR. XII. N̄. CCLIX

Edidit eam primus, in cuius hortis reperta erat, Sertorius Ursatus, Mon. Patav. p. 211, 5, cum explicatione Liceti p. 215 sq. et epistola Holstenii p. 351 sqq. (apud Boissonad. p. 411 sqq.), post eum Reinesius, synt. Inscrr. p. 258 sqq., Maffeius, Mus. Veron. 127, 4., denique Orellius 2620. Id iam nostra inscriptione comparata certius etiam poni poterit, fuisse *Q. Magurium Ferocem* lusorem in grege Veturiano. Gregem dici de artificibus scenicis, inprimis de mimis et pantomimis notum est, v. Petron. Sat. 80. Grut. 1024, 5. Ita in inscriptione apud Maffeium Mus. Ver. 127, 3 legitur.

AVRELIVS. EVTY
CHES. STVPIDVS
GREG. VRB. cett.

Aurelius Eutyches in grege urbano *stupidi* partes egit. Etenim quum in mimis certae personae essent, quae proprium fixumque nomen gererent, maritus stultus, quem adultera uxor callide fefellit, *stupidus* vocabatur (cf. Heinrich. comm. I. in Iuven. Sat. p. 34 sqq.), quod nomen saepe legitur, v. Iuven. VIII, 197. Iul. Capitol. Anton. Phil. 29. Arnob. VII, p. 300. Cyprian. de spect. p. 4. Idem significat scholiasta Iuvenalis VI, 276 loco nunc quidem corrupto, et cui aliorum duorum hominum interpretamenta adiecta sunt: *Uruca mimologi stupidi nomen finxit, quia ferme quasi frequenter fallit, cum*

magis et personam mariti. In postremis recte Pithoeus: *cum agit personam mariti;* quae praecedunt ad sensum recte ita restituit Schurzfleisch, *quia a femina sua sic frequenter fallitur*, quamquam verba fortasse aliter se habuerant, sensum autem omnino non perspexit Eremita, qui in exemplo editionis Pithoeanae, quod Heidelbergae asservatur, emendavit: *quia feminas fr. fallit, cum imaginet pers. mar.*, quasi vero de adultero sermo sit. Abstineo hic a tractando Iuvenalis loco difficillimo, de quo antiquo tempore iam diversa disputata sunt, breviter tantum moneo, esse ex eorum numero, qui demonstrent, lectiones et scholia codicis Budensis ex plane diverso fonte manasse, quam eorum, qui iam noti sunt permulti, qua de re alibi accuratius disputaturus sum. Apparet iam *stupidum mimologum* i. e. mimum (Firm. math. VIII, 8. Artemid. I, 76, p. 107 R.) mariti partes egisse. Talis igitur fuit *Aurelius Eutyches.* Simili modo accuratius de *Magurii* arte et officiis loqui videtur titulus eius, sed hic aquam nobis haerere confitendum est. *Lusor* utrum in universum mimum, an certum quoddam mimorum genus significet, in hac exemplorum paucitate non potest affirmari, sine dubio iis, qui adiiciuntur, accuratius definiebatur. *Epideixis* graecum vocabulum ἐπίδειξις de iis usurpari, quae ad ostentationem fiunt, satis notum est, fortasse in arte ludicra propriam quandam significationem assumsit, sicut de saltatore usurpat Pollux IV, 97, quae qualis fuerit ignoratur. Idem certe aliis vocabulis accidit e. g. v. *paradoxus*, de quo v. Falconer. Inscrr. athl. p. 43 sqq. Cramer ad Schol. Iuv. VIII, 185. *Cetaes* autem quid sit, non possum divinare, neque iis explicari puto, quae a VV. DD. allata sunt. Accuratius iam inspiciamus nostram inscriptionem. *Caesaris lusor*, quisquis ille fuit, cuius nomen delevit temporum iniuria, vocatur *mutus, argutus imitator*, et gloriam sibi vindicat, quod *primus invenerit causidicos imitari.* Hic igitur artem mimicam aperte professus est, et graecae originis verbum *mimus* latino *imitatoris* expressisse videtur. Nam ut Cicero (de orat. II, 54, 219) ait, naturam fingere homines et creare *imitatores* et narratores facetos, quod ipsum summum est in mimo, ita Isidorus (Orig. XVIII, 49) *mimi*, inquit, *sunt dicti Graeca appellatione, quod rerum humanarum sint imitatores*, et similiter Diomedes (III, p. 488 P.) *mimus dictus κατὰ τὸ μιμεῖσθαι, quasi solus imitetur.* Eodem pertinet Ammiani Marcellini locus (XXIII, 5): *cum Antiochiae scenicis ludis mimus cum uxore immissus in medio sumta quaedam*

imitaretur i. e. mimica repraesentaret, neque dubitandum videtur, quin Romani *imitandi* vocabulo eodem modo usi sint, quo Graeci v. *μῖμος*. Quodsi vocem *mutus* additam esse consideramus, facile in eam sententiam adducemur, fuisse eum *pantomimum*, qui sine verbis, sola saltatione vel chironomia omnia exprimere calluerunt, ita ut somnium de infante saltante hunc mutum futurum portendat (Artem. I, 76). Hinc illae facetiae, quod de manu loquaci (Petron. fragm. p. 864 Burm.), de diserta saltatione (Tac. dial. 26) locuti sunt. Similis argutia in *mutus argutus* neminem potest fugere. Hoc vocabulum enim cum de iis usurpatur, quae animum vel sensus percellunt, praecipue tamen ad sonum refertur, et inprimis de iis in usu est, qui clare et perspicue loquuntur, quod tam de sono vocis, quam de facultate animi sententiam cum perspicuitate exponendi intelligendum est. Optime igitur hoc verbum transferebatur ad manus oratoris, qui prompto et acri gestu tanquam altero sermone utitur (Cic. de orat. III, 59, 220. Gell. I, 5), audacius autem hic coniunctum est cum *mutus*, sensu tamen haud obscuro. Hic igitur artifex causidicos primum invenit imitari, quod genus hominum sane aptissimum fuit ad mimicam cavillationem. Causidicos enim non sine quodam contemtu eos vocarunt Romani, qui operam mercenariam causis forensibus praestarent, et magis pecunia allecti, quam arte exculti, inani verborum strepitu potius quam iusta oratione rem agerent, cf. Cic. de orat. I, 46, 202. Quint. XII, 1, 25. Inde factum est, ut cum praecone iungatur causidicus, non solum ob clamorem, quem uterque tollit, v. Iuven. VI, 439, quem locum imitatus est Fulgentius myth. I, p. 23 M., sed ob lucrum, quod parum honestum habebatur, v. Petron. 46 et cf. de praeconum officio permisso sed abiecto Iuv. VII, 6. Mart. V, 57. Iuv. III, 157. Apparet iam, quam aptam praebuerit personam mimicis fabulis causidicus, eumque, qui Neapoli theatrum Carlini frequentavit, quas partes egerint in fabulis istis, quae multum antiqui coloris servasse videntur, causidici meminisse iuvabit. Mirandum sane foret, non ante Tiberium, quo tempore vixit anonymus noster, inventam esse artem causidicos imitandi, nisi considerandum esset, tam mimos atque pantomimos, quam causidicos ultimis tantum reipublicae temporibus effloruisse.

P. 38. n. 112. VALERIA. L. L. GRAPHINI. Leg. VALERIAE. Nomen *Graphis* legitur in inscriptione Grut. 966, 2, et iusta dativi forma *Graphidi* Grut. 1135, 3. Saepe autem Romani Graecorum nominum femininorum in *is* genitivum et

dativum faciunt in *inis* et *ini*. Exempla attulit Cavedoni, Marmi Mod. p. 254, adde infra n. 157 *Heuresinis* (Vignoli, Inscrr. sel. p. 230. *Herusini*, quod *Heuresini* legendum videtur); *Damalini*, Vign. l. l. p. 273; *Helpini*, Card. iscr. ant. 13.; *Soterini*, Giorn. Arcad. 1833 p. 346.

P. 39. n. 115, l. 3. DOMITIVS PHILOMVSVS fortasse idem est, qui n. 82 cum *Lubiena Rufilla* coniunctus est.

P. 39. n. 117, l. 2. BVBALVS. Bubalus, quem in Africa et India inveniri scribunt veteres, cuiusmodi animal sit, accurate definiri nequit, cf. Schneider, eclog. phys. II, p. 18. Videtur haec quoque animalia in vivariis habuisse insana Romanorum luxuries, si fides inscriptioni apud Murat. 930, 2.

CN. DOMITIVS. CN. L. AGATHANG
SVPRA. BVBAL
cett.

quae tamen in ceteris quibusdam impedita et ex Ligorii schedis petita est. Ceterum quantumvis frequentia sint nomina propria ab animalibus petita apud Graecos atque Romanos (cf. Keil, spec. onomatol. p. 86. R. Rochette, 2 mém. sur les ant. chrét. p. 69) est tamen hoc ex rarioribus, quamvis non sine exemplo, v. Grut. 934, 6.

l. 3. CRISPINAE. IONIDIGO. Apparet, legendum esse CRISPINAE. IONIDI. CO*niugi*.

P. 39. n. 119. POMPTINVS. Notanda haec huius nominis orthographia, quae minus frequens est, quam altera *Pontinus*; est tamen *C. Pomptinius C. L. Eros* apud Murat. 1596, 2.

P. 39. n. 120, l. 2. POLLITTAE. Potest hac inscriptione sustentari lectio vulgata apud Iuven. II, 68 *in Proculas et Pollitas*, quod posterius nomen in codd. corruptum est, ita tamen, ut *Pollitas*, quod vulgo legitur, facillime possit restitui. Nec debebat hoc nomen tanquam abhorrens a consuetudine Romana repudiare Heinrichius, legitur enim in inscriptione apud Millinum (voyage dans le midi de la France IV, p. 450): *Octaviae Pollitae*. In nostra tamen inscriptione malum me habet duplex T, et nescio an legendum sit POLLITIAE. Ita legitur POLLITIANVS apud Grut. 330, 6.

l. 6. L. M. add. apogr.

P. 39. n. 121, l. 1. FRASINVS. Legendum videtur ERASINVS, quod nomen saepius occurrit, cf. Grut. 268, 1. Murat. 1585, 9. 1589, 4. alterum non item.

CAES. N. SER. i. e. *Caesaris nostri servus*, de qua formula, deque pronominis usu post Marinium (Iscr. Alb. p. 134 sq.

frat. Arv. p. 95 sq.) nuper egit Gervasio, osservazioni intorno a due iscr. Messinesi p. 2 sqq.

ADIVTOR A VINIS. *Adiutores* servorum saepissime in inscriptionibus inveniuntur. *Servum a vinis* habes apud Murat. 899, 6, *adiutorem a vinis* ex Marangonio (Anfiteatro Flavio p. 80) affert Marini (frat. Arv. p. 95). Sequentem inscriptionem e tabula marmorea Romae in villa Casaliorum descripsit *Kellermannus*:

P. AELIO. AVG. LIB
SECVNDO. FECIT
T. AELIVS. AVG. LIB
EVTYCHVS ADIVTOR
A VINIS ET SIBI. LIB
LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE
EORVM

Ceterum facetum est, eum, qui vinis praepositus est, *Phialen* habere coniugem.

P. 39. n. 126. Ut ex inscriptione sequente apparet, *Veturia Helena*, *Veturiae Daphnes* liberta, *C. Iulii Anthi* uxor, filiam in patronae gratiam *Veturiam Daphnen* vocavit. Notandum est, eandem feminam utraque nominis forma uti *Helena* et *Helene*, unde sequitur, in his etiam apud antiquos inconstantiam quandam fuisse, quam in scriptoribus haud facile toleramus.

P. 40. n. 128, l. 4. COVG. Formam *coiunx*, Apuleio de orthogr. §. 17 quoque memoratam, multis exemplis illustravit Cardinali dipl. imp. p. 253 sq. Hic etiam I littera omissa est. Similiter COIGI apud Passion. Iscr. ant. p. 36, 15. CONGI Card. Iscr. ant. 156.

P. 40. n. 129, l. 1. CINERIBVS pro *Dis manibus* saepius legitur in titulis sepulcralibus, cf. Orelli 4443 sq. adde Passion. Iscr. ant. p. 147, 2. Vignol. Inscr. sel. p. 239. Utrumque coniungitur in hac inscriptione urnulae quadratae marmoreae, quam in villa Matteiorum Coelimontana exscripsit *Kellermannus*.

D. M.
ET
CINERIBVS V T V P V
A V G V

l. 4. POSIT pro POSVIT saepius legitur, v. Ind. Grut. Orell.

P. 40. n. 130. cf. A. n. 25.

P. 40. n. 137, l. 1. FELICI NATI apogr. NATI corruptum aut mutilatum videtur.

P. 41. n. 139, l. 4. OCTAVIA recte emendatum est a typographo, cum in lapide exstet OCTANIA, si apogr. fides. IAS nomen alibi quoque reperitur, e. g. Cardinali, dipl. imp. p. 69, 96.

P. 41. n. 141. SEBOSIANVS. Nominatur in tabula honestae missionis (t. XI apud Cardinalium) *ala II Gallorum Sebosiana*, et in inscriptione quadam (Orell. 1603) *ala Sebosiana*. Credit Cardinali (dipl. imp. p. 144), hanc alam nomen suum accepisse a populo quodam Gallico, cuius nomen latitet in corrupta voce *Sibuzates* apud Caesarem (B. G. III, 27), et *Sediboniates* apud Plinium (H. N. IV, 19, 33, 108). Haec coniectura nec per se verisimilis est, nec a codicibus ullum habet praesidium. *Sebosus* autem fuit nomen Romanum. *Statii Sebosii* auctoritate in quibusdam, quae de Gorgonum insulis et de vermibus ingentis magnitudinis in Gange fluvio narrat, utitur Plinius (H. N. VI, 31, 36, 201; IX, 15, 17, 46), eumque secutus Solinus (52. 56). Hunc eundem Sebosum putarunt, Catuli familiarem, de quo non nimis benigne scribit Cicero ad Atticum (II, 14, 2. 15, 3.), qua de causa non video. Ab hoc nomine igitur alam illam ut *Anthum* nostrum nomen *Sebosiani* habuisse persuasum est. Ceterum de servis publicis et Caesareis, qui secundum nomen in *anus* gerunt, accepta hodie apud plerosque sententia est, sumtum id esse a priore domino ad imitationem quasi moris, qui obtinebat in adoptione. *Anthus* igitur *Sebosi* cuiusdam servus fuit, antequam in Caesaris familiam transiit, et A. n. 11 *Celadio* priusquam *Tiberii* unctor fuit, *Germanici* servus fuit, inde *Germanicianus* dictus, item A. n. 18 *Oratus Fabii* primum servus fuit, tum *publicus*. Cf. Fabretti p. 336 sq. 319. 343 sq. Cannegieter, de mutata Rom. nom. rat. c. 9 sq. Morcelli, de stilo inscr. lat. I, p. 26. Marini frat. Arv. p. 211 sqq.

P. 41. n. 142. Cf. n. 165. T. *Claudius Eros* est etiam apud Murat. 926, 14. Osann. syll. p. 374, 47.

P. 41. n. 143, l. 3. NVMVNCLATOR eodem modo scriptum exstat in inscriptione Vaticana, quam edidit Amati (Atti dell' acad. Rom. d' arch. I, 1, p. 103):

D. M.
M FLAVIO
MOSCHO NV
MVNCLATORI
MVNATIA. MAXI
MA. VXOR. ET. MV
NATIVS. MAXIMVS
FILIVS BENEMEREN
TI. FECERVNT
V. ANNIS. LV

Similiter scriptum est vocabulum in hac inscriptione, quam in museo Florentino exscripsi:

D . M.
L. POMPEIO. AVG. LIB
FORTVNATO
NVMICLATORI
ACENSVS. LICTORI
AVG. III. DECVRIAR.
POMPEIA. PIA
VXOR. VIRO
RARISSIMO. FECIT

Inscriptionibus, quae nomenclatores nobis offerunt, quamquam haud rarae sunt, accedant duae Vaticanae a *Kellermanno* exscriptae:

*Deci*MIAE. L. L	M. AEMILIO
*Li*BERALI	LEPIDI. LIB
*C*LAVDIVS	FELICI
*Au*GVSTI LIB	NOMENCLATORI
*Phi*LOLOGVS*)	VIRO PRIORI
... LIS. VXORI	DECIMIAE. L. L
... NOREM	LIBERALIS

*) Addendus hic *Philologus* eorum numero quos supra ad n. 72 recensuimus.

D. M.
T. FLAVIO CAL
LISTO. AVG. LIB
NOMENCLAT
E PIDIA. TERMINA
LIS. CONIVGI
BENE-MERENTI
. . . . AN. LXX

P. 41. n. 147, l. 3. VITRVIA pro VITRVVIA, ut PRIMITIVS Grut. 424, 5, aliaque cf. Schneider Gramm. Lat. I, 1. p. 362.

P. 42. n. 151. D. M. addit apogr.

l. 4. AMABILIS coniux est *Sentii Felicissimi* et mater *Sentiae Renatae* cf. Grut. 689, 7.

DI. M.
IVL. IVSTV
S. V. A. XXVI
AMABILI
S. MATER

P. 42. n. 152, l. 3. EVXE. Hic Graecum X adhibitum, nam aperte nomen est *Euche* (n. 128). Eodem modo TYXE scriptum est apud Osann. syll. p. 453, 167.

P. 42. n. 155. Q. DELLIVS, nomen ex Horatio notum (carm. II, 3), cf. Ruhnk. ad Vell. II, 84. Haec nominis forma etiam aliis inscriptionibus vindicatur, cf. n. 30. Grut. 410, 10; quamquam altera quoque DEILLIVS, quae est apud Senecam (Suas. I, p. 7), in lapide exstat apud Grut. 410, 9, ut refert Gudius. Huius Dellii libertus videtur *Q. Dellius Q. L. Rufio* n. 158 fuisse.

P. 42. n. 156, l. 2. MVRITIS. Pro corrupto hoc verbo apogr. habet MYRTILI. Tamen explicationem certam huius tituli dare non ausim.

P. 42. n. 158, l. 2. MERIS apogr. habet NEBR.., unde restituendum NEBRIS, quod nomen haud raro invenitur cf. Osann. syll. p. 499, 41, el. add. Vignoli, Inscrr. sel. p. 282. Cardinali, diplomi imp. p. 265, 524.

l. 5. LALI add. apogr.

P. 43. n. 164, l. 3. MELITINNE nomen feminae exstat apud. Passion. Iscr. ant. p. 42, 18.

P. 43. n. 166, l. 4. OLLAE II apogr.

P. 43. n. 167. l. 2. ALEXSANDRI apogr., scribendi ratione in marmoribus frequentissima. Cf. Schneider Gramm. Lat. I, 1

p. 374 sqq. Marini Iscr. Alb. p. 90 sq. frat. Arv. p. 268 sqq. Cardinali, Iscr. p. 199. Osann. ad Apul. p. 53. Omnium autem celeberrimum exemplum est *sexs* illud famosum, quod legitur in inscriptione Pompeiana, de qua cf. Avellino, ragguaglio de' lavori della R. Acad. Ercol. per l' a. 1835 p. 3 sqq. R. Guarini, valore della cifra *sexs* in un marmo di Pompei. Nap. 1836, 8. qui cum initio negasset, *sexs* scribi posse pro *sex*, se ipse in viam revocavit (p. 48 sq.), allato titulo apud Cardinal. Inscr. Velit. p. 134, 71. Alterum exemplum ex Manutio (orthogr. p. 282, 6) et Grut. 661, 8 attulit Gervasio, sopra un iscr. Sipontina p. 7 sq.

P. 43. n. 168, l. 2. POLYCLITVS. Habes eandem nominis formam, quam e codd. quoque scriptoribus reddiderunt critici, cf. Goerenz ad Cic. de finn. II, 34, 115. Zumpt ad Cic. Verr. p. 656. Frotscher ad Iul. Rufin. p. 229. Exstat ea etiam apud Grut. 741, 7. A Muratorio autem p. 751, 1 (cl. 981, 1, ubi inscriptio repetita est, Orell. 3245) iniuria editum esse POLYCLITI, et in lapide, qui in museo Kircheriano est POLYCLETI legi, notavit *Kellermannus*. POLYCLETVS est etiam apud Grut. 909, 5.

P. 43. n. 171, l. 1. ZOPHRI nomen obliteratum, ita tamen, ut legi possit. Reponendum ZOPYRI.

P. 44. n. 173. Eadem verba leguntur in urnula, cuius inscriptionem ediderunt Fabretti 21, 91. Spon. misc. p. 23. Or. 4707. Spuriam iudicavit Maffei (Ars crit. lap. III, 4, p. 440), cum talia lemmata neque ad rem faciant, neque antiquis aptentur moribus. Contra quam suspicionem quam recte eam defenderit Morcelli (de stilo inscr. lat. I p. 201), iam hic titulus evincit.

P. 44. n. 175, l. 3. XLVI apogr.

P. 44. n. 177, l. 2. HIC sc. *sita est*. Eodem modo nudum *hic* positum est in inscriptione apud Cardin. dipl. imp. 181, 299.

P. 44. n. 178. CELADI. Hoc nomen iam supra legimus (n. 79); *Iulia Celadi L. Philotera* est in inscriptione musei Borbonici, quam post Murat. 928, 2 accuratius edidit Avellino (descriz. d'una casa Pompei. p. 78). Idem nomen recte sine dubio Iuvenali restituere voluit Heinrichius, quamquam ei morem non gessit, qui editionem curavit, quod saepius factum mireris. Eo enim loco (VII, 215) cum codices praebeant *Enceladi* vel *Encheladi*, recte statuit, Enceladi nomen mythicum tantum esse, grammatico deberi nomen haud infrequens *Celadi*. Ad Celadum grammaticum proxime accedere videtur *P. Cornelius Celadus librarius ab extra porta trigemina* in inscriptione,

quam ex Ficoronii schedis ediderunt Galeotti, gemmae litt. p. 126. Murat. 948, 3 et Fea miscell. II, p. 158. Alios praeterea *Celados* v. apud Gorium columb. n. 172. Guarini, alcuni suggelli ant. p. 76.

P. 44. n. 182, l. 2. THALAMIO. Nomina feminina similiter comparata v. apud Marin. frat. Arv. p. 496.

P. 44. n. 185, l. 3. MALCHIO a MALCHVS deductum, ut multa alia similiter formata nomina, quorum exempla larga manu congessit Marini frat. Arv. p. 249 sqq. adde Cardin. dipl. p. 120 et A. n. 11. B. n. 110. 158. Hoc nomen, quod Martialis et Petronii *Trimalchione* inprimis famosum factum est, unde deducendum sit, utrum e lingua Syrica, an a Graeco *μαλακός*, certant VV. DD., cf. doctam Weicherti disputationem (poett. latt. rell. p. 429 sqq.) Malchionibus aliunde notis addi possunt duo, alter apud Guarinium) fasti duumvirali di Pompei p. 182, 6) alter in hac inscriptione, quam *Kellermannus* in museo Vaticano exscripsit:

CN. CN. CN SEPTVMIEIS. CN. CN. C. L.
PHILARGVRVS. MALCHIO. PHILEROS. ARG
CORNVFICIA. Ɔ. L .SELENIO
SEPTVMIA. CN. CN. L. AVGE

Notandum, idem nomen feminam gerere in titulo apud Gorium columb. 98, 35; aliud nomen femininum inde derivatum *Malchis* exstat apud Passion. Iscr. ant. p. 36, 13.

P. 45. n. 187, l. 5. EX ROGATV PATRONAE F. Supra A. n. 22 vidimus QVOD IVSSIT ET ROGAVIT ITA FACTVM EST. Conferri potest titulus apud Passioneium (Iscr. ant. p. 78, 84) in quo haec leguntur:

——— TF' ROGO
FILI' KARISSIME
NE QVIS VELIT
AMPLIVS ⸗ POST
ME. IN. HOC. TVMV
LO. ALIVT. INFERRE
ET. VOS. LIB. LIB. QVE
IVBEO ⸗ PRAES....

Haec inscriptio ultima earum est, quae ex maiori columbario editae sunt. Invenio autem in apographo praeterea tres inscriptiones, quae nescio cur typis non sunt expressae; eas ne pereant hic addo:

1. FORTVNA
TOS *)
2. SALVE **) FILIA CARISSIMA
3. .. NIA. RESTITVTA
.. MIO. MAGNO
.. O. KARISSIMO BENEMEREN
.. IIS. XVI. MENSIB. II. DIEB XXVI
.. I. B. ET. SVIS. ET
.. TO. CONTVBERNALI. SVO
.. EDISVI. INIRONTE. FVI ***)

Et hactenus quidem, ut diximus, inscriptiones columbarii. Has vero excipiunt aliae ab eodem Campana repertae in iis maxime locis, quae columbario vicina sunt.

P. 45. n. 188, l. 1. SEC. SACR. Cf. Orell. 2824. 4849. Grut. 595, 2. Adde inscriptionem a *Kellermanno* in villa Miollis descriptam

SECVRITATI. AEMILIAE
SVCCESSAE. C. QVINQVAIVS
TERTIVS. CONIVGI
B M

P. 45. n. 190, l. 1. VOLVCIAE errore calami scripsi pro VOLVSIAE. Videmus autem, *Volusiam* fuisse uxorem *P. Volumni P. L. Dionis*, eorumque filium *P. Volumnium P. F. Rufum*, cuius filius et ipse *Rufus* appellatus est.

P. 45. n. 194, l. 3 sq. AGATHOCLAVDIANI unum nomen videtur fuisse, cuius tamen simile exemplum afferre non possum.

P. 46. n. 197. Leg. Θ. K. — ΖΗΣΑΝΤΙΕΤΗ . . .

P. 46. n. 207, l. 3. Formula *hic sita est* apud scriptores et in lapidibus frequens est, cf. Cardinali, dipl. imp. p. 199. Ceterum hic quoque titulus docet, parum considerate dixisse Gutherium (de iure manium I, 8. p. 51), hac formula peregrinam aut bellicam mortem significari, quod nec in hac nec in altera inscriptione (n. 42) inest.

P. 47. n. 210, l. 2. PIETAS. Similia nomina congessit Cardinali, dipl. imp. p. 156. Adde *Hilaritas* (Passion. Iscr. ant. p. 99, 8. 160, 30), *Probitas* (Osann. syll. p. 468, 14), *Felicitas*

*) De terminatione cf. p. 78 ad n. 41.

**) *Salve* etiam de mortuis usurpabatur, cf. Grut. 522, 4. 658, 5. Mus. Ver. 159, 4, ubi Maffeius affert Virg. Aen. XI, 97, v. ibi Serv. Stat. Silv. III, 3, 208.

***) Videtur fuisse: *in agro pedes* VI *in fronte p.* VI.

(Passion. l. l. p. 166, 21. Lama, guida di Parma p. 91, 70 et in hac a *Kellermanno* Romae in aedibus Rondaninis exscripta):

D (Sertum) M
DIDIAE FELICITATI
SEXTITI EN EPAPHRODITVS
AVIVS DIDIA. NICE. AVIA
DIDIA. DAPHNE. MATER
FECIT. FILIAE. DVLCISSIMAE
Q. V. Ā. III. M̄. VIII. D̄. XXI.

Pietas exstat etiam in inscriptione mutilata, quam in museo Vaticano exscripsit *Kellermannus:*

L	IVMAI IVGERA
S	DVA ET POMARIVM
T	ADDICTVM VIBIO
O	AGRIO SEVERO ET VI
	BIO AGRIO FILETO
	FILIO ET VIBIAE AGRI
	AE LVPERCILLAE

ET VIBIAE AGRIAE PIETATI

Exemplum hoc eius scribendi generis, quo litterae una infra alteram ponuntur, addi potest iis, quae collegit Marini, frat. Arv. p. 829 sq. Solent autem ita vel nomina, vel acclamationes scribi. Hic explicatio valde dubia est, cum incertum sit, num omnes litterae servatae sint.

P. 47. n. 215, l. 3 sq. Tituli mutilati sententia potest restitui ex his, quae plane consentiunt:

EPHEBVS AVCTI F. BIMVS
ET MENSVM. III. DIES. XIIII.
VIXIT
NOLITE. DOLERE. PARENTES. EVENTVM
MEVM. PROPERAVIT. AETAS
HOC. DEDIT. FATVM. MIHI

[Apud Marini frat. Arv. p. 237.]

C. HELVIVS. SPERATVS
V. A. III. MENS. VII. DEL *)
NOLITE. DOLERE. EVENTVM. MEVM
PROPERAVIT. AETAS. HOC. DEDIT
FATVM. MIHI
(In latere sinistro:)
SVNT. EIVS. OLLAE. QVINQVE

[In columbario vineae Rufinianae a. 1822 detecta. Ed. Bettini in Giorn. Arcad. XIII, p. 123. Cardinali diplomi imp. p. 257, 502.]

Ceterum concludere ex his licet, *Valeriam* nostram infantem mortuam esse. Similis orationis color etiam in aliis inscriptionibus invenitur, ut in hac metrica (Ferreti Mus. lapid. p. 65, 37), quam ex cod. Urbinate paullo aliter atque edita est descriptam *Kellermannus* misit Borghesi:

TV PATER ET MATER LACHRYMIS RETINETE DOLOREM
NAM FATO RAPTAM NON POTES ERIPERE
MATERIA TELETE VIX. ANN. XXVII **)

P. 48. n. 227. ANTIGONE. Saepe iam observatum est, nomina ex fabulis mythologicis celebratissima vulgata fuisse apud servos et libertos potissimum. Exempla congessit Cardinali, dipl. imp. p. 265 sq., quibus addo quae in hisce titulis reperiuntur ordine composita.

Branchus B. 69.
Castor B. 97.
Helenus B. 36.
Hylas A. 1.
Nestor A. 7.
Pelops B. 47.
Zethus A. 4.
Auge B. 52.
Cassandra A. 21.
Daphne B. 126. 127.
Helena B. 126. 127.

Nec magis rara deorum nomina sunt hominibus data, quamquam facile observatur, Graeca deorum nomina multo fuisse frequentiora, quam Romana, quorum exempla haud nimis multa congeri possint. Hic quoque addo, quae in nostris inscriptionibus leguntur.

---

*) *Delicium* explicavit Bettini l. l.; *Kellermannus* in schedis D. IV vel D. II fuisse putat.

**) Haec versibus praeposita sunt apud Ferret., qui leg. HATERIA et v. 1. AC MATER LACRIMIS.

Anteros B. 112. 209.
Eros B. 8. 60. 62. 134. 138. 142. 165. 179. 221.
Euterpe B. 50.
Hermes A. 29. B. 50. 97. (Herma B. 7. 15. 210.)
Phoebus B. 229.

De his nominibus videnda sunt, quae accurate composuit C. Keilius, spec. onomatologi Graeci c. 1., cf. etiam, quae monuit Panofka, von einer Anzahl antiker Weihgeschenke p. 7 sqq.

P. 48. n. 230. Haec inscriptionum trias (tertia enim ad latus mediae posita est, non subter eam, ut typographus spatii angustiis exclusus fecit) pertinet ad sarcophagum permagnum, qui solus e monumentis sepulcri cuiusdam servatus est, quod in vicinia magni illius columbarii a libertis familiae Allienae exstructum fuit. Singulari autem modo sarcophagus hic comparatus est, non uni integro homini, ut moris fuit, recipiendo destinatus, sed tribus inscriptionibus totidem loculi respondent, ad cineres ossaque combusta servanda apta. Inscriptionum autem attentione dignissima media est, quae miri casus testimonium facit, eodem die cum patrono mortuam esse puellam, quae eius delicium fuerat et ob caritatem et amorem eodem rogo cum eo combusta eodemque sarcophagi loculo composita est. *Delicium* et *Delicatus* haud raro inveniuntur in titulis, et quamquam negari nequit, posterioribus praesertim temporibus *deliciarum* nomen nefanda Romanorum libidine saepe labem quandam traxisse (cf. intpp. Virg. Ecl. II, 2), tamen haud minus raro honesto sensu usurpatur (cf. Senec. ep. 12), quod etiam monuerunt VV. DD. cf. Marini, Iscr. Alb. p. 79. Visconti opp. varie II, p. 78 sq. Cardinali Iscr. Velit. p. 158 sq. R. Rochette 2 mém. sur les antiq. chrét. p. 21. Quam maxime autem hoc usu venit, ubi puella paucorum annorum *delicium* vocatur, ut in hac, aliaque apud Cardinal. dipl. imp. p. 96, 125, duabus denique sequentibus, quas *Kellermannus* e museo Vaticano descripsit:

COMINIA	C. LVSCIVS D. L. CHARES
COETE	VIXS. ANN. XX. FIL. C. ANNIVS
DELICIO. SVO	PRIAMVS. VIXS. ANN. XXXVII
PVSILLAE	CLARA. DELICIVM. VIXS. ANN. IV

III, l. 2. CLV. etiam in aliis inscriptionibus reperitur, et diverso modo explicatur. Alii de Clusina, de Cluentia tribu cogitarunt; Clustuminum pro Crustuminam interpretatus est Orelli n. 1740 cl. t. II, p. 13.

ÉLIMINÉ 1988

II. INSCRIPTIONES KELLERMANNIANAE.

Inscriptiones, quas hic composui, descriptae sunt e marmoribus, quae ipse possidebat *Kellermannus*. Quo enim amore ille studia epigraphica amplexus est, fieri non potuit, quin ipsos lapides quoque colligeret et undique conquireret. Quamquam autem haud erat bene nummatus, tamen non facile occasionem omisit, sicubi lapidem inscriptum, cuius nec pretio nec mole deterreretur, in potestatem suam redigere potuit. Huius igitur quamvis exigui musei lapidarii marmora iam praeter ultimum, quod penes me servo, instituto archaeologico Romano, cui tantum debebant *Kellermanni* studia epigraphica, ut par erat, cesserunt, ibique servantur. Titulos autem, quamvis haud multos nec omnes magni momenti, hic coniunctos addere pietatis esse mihi visum est, nec invitus hic inveniet lector.

P. 49. n. 1, l. 6. M. TVSCVLANIV... Fortasse huc pertinet inscriptio apud Cardinalium (Diplom. imp. p. 26, 34):

M. TVSCVLANIO. AMIANTHO
MAG. AEDITV. CASTORIS. POLLVC
AVGVSTALIVM. H. F.
M. TVSCVLANIVS.
M. F
RECEPTVS. FRATRI

P. 49. n. 3, l. 4. PARDALAS. Exempla huius nominis v. apud Cardin. l. l. p. 47.

P. 49. n. 5, l. 2. POPILLIVS. De varia hoc nomen scribendi ratione cf. Gernh. ad Cic. de off. I, 11, 36. cf. A. n. 17. *Laenatis* nomen proprium erat Popilliorum, inde ortum, ut videtur, quod M. Popillius, qui flamen Carmentalis sacra fecit, cum plebis seditio nuntiaretur, ita ut erat laena amictus in concionem venit, seditionemque sedavit, cf. Cic. Brut. 14, 56. Serv. in Virg. Aen. IV, 262. Quint. I, 4, 25.

P. 49. n. 6. Tabula marmorea a. 1835 effossa Romae ad S. Marcum sub Capitolio.

l. 2. STAT. AVG. v. ad B. n. 1.

l. 3. Leg. VENVLEIA.

P. 50. n. 9. Lapis Praeneste repertus a Morcello editus est, de stilo inscr. II, p. 122. ed. Pat., ubi forma etiam expressa est, et a Viscontio, Mus. PioCl. II, p. 88. ed. Mil. Orell. 1759. Tunc temporis autem minus attritus fuisse videtur lapis, nam alterius inscriptionis primam lineam emendatius ediderunt: PRO SALVT cett. Notas FP. PR. recte interpretati sunt *Fortunae Primigeniae Praenestinae*. De Fortuna Praenestina conferendus Gerhardus in prodromi myth. commentario secundo. Pro reditu

fratris et salute matris Fortunae Primigeniae signa aurea posuit Gn. Flaccus apud Murat. 307, 5. Orell. 1756. Voc. THESIS diversis modis a VV. DD. explicatum est. Morcelli aut *thesin* idem esse quod *anathema* putavit, aut *thesias* locum appellatum esse, ubi aedicula altera posita sit e duabus, quas commemoravit Cicero (de div. II, 41, 86), ut *thesis* ablativus sit. Visconti autem *thesin* eo sensu accipiendum dixit, quo apud Graecos θέσις pecunia est, quae deponitur ab eo, qui causam agit (παραχαταβολή, sacramentum, v. exempla in Stephani thesauro), hic translatum ad id, quod voti damnatus, quasi depositum, solvere debuit. Hanc ingeniosam explicationem probavit Orellius. Aliter rem agressus est Marini, frat. Arv. p. 589, qui per siglas haec scripta censet, quas ita resolvit THES. I. S. h. e. *Thesaurum impensa sua*, iunctum cum D. D. *dedit*. D. D. autem esse *dono dedit* monuerunt Morcelli editores Patavini, allatis Zaccaria Inst. lapid. III, 4. Marini fr. Arv. p. 556. Mihi adhuc videtur ampliandum.

P. 50. n. 11. Tabula marmorea ita fracta, ut litterae V in DIVI et M in THRACVM dissecarentur, ed. Grut. p. 288, 3 „*Romae apud Delphinios*", Orell. 629. ibique cum perdita esse videretur, a. 1818 cum tribus aliis invenit Fea, ediditque framm. di fasti cons. p. XXX. Neuter annotavit, secundae inscriptionis paucas tantum litteras incisas esse, reliquas atramento tantum pictas. Quod cum in textu non accurate expressum sit, repeto eam hic, ubi litterae inclinatae pictas notant.

SITALCES. DIVI *IVLIA. PHYLLIS*
AVGVSTI SO*ROR EIVS*
OPSES. THRACVM

Quare dubitari fortasse potest, num revera idem lapis sit. THRACVM, cuius loco THRACVA apud Grut. est, in marmore legitur. Litteram *I* eodem modo formatam invenies apud Fabr. p. 195 sq. Mus. Ver. 109, 1. 129, 5, quae attulit Zaccaria instit. ant. lapid. II, 11. p. 318.

l. 3. OPSES. De hac scribendi ratione etiam in codd. obvia cf. Cardin. dipl. imp. p. 95. Kreyssig ad Rabir. p. 192. Wagner, orthogr. Vergil. p. 413 sq.

P. 50. n. 12. Edid. Grut. 40, 4. ubi CAELIVS et ALM.

l. 5. DIANIVM pro sacello Dianae est etiam apud Liv. I, 48.

P. 50. n. 13. Memorabile in hac inscriptione *M. Furii Camilli* nomen, infrequens illud serioribus temporibus. AB. HORR. cf. EX. HORREIS apud Gorium columb. Liv. p. 187.

OLAI KELLERMANNI

DISPUTATIO

DE

ACCENTIBUS IN INSCRIPTIONIBUS LATINIS

E COMMENTARIO INSCRIPTIONUM DALMATICARUM EXCERPTA.



Ara haec marmorea, cuius inscriptionem descripsit Lanza, non potest ante Caracallae tempora posita esse, cum nota AVGG. NN. ut duos Augustos significaret, ante eum in usu non fuit. Apparent autem ter litterae I suprapositi apices illi vel accentus, de quibus tam multa disputarunt VV. DD. ceterisque melius Marini (frat. Arv. p. 709 sqq.) [a]) Ita scripti autem, ut a sinistra dextrorsum vergant, quales in hoc titulo visuntur, non nisi rarissime inveniuntur, ut recte observavit Marini, qui inter multa exempla ab eo collecta quater tantum hoc modo positos reperit, et mihi confitendum est, nunquam tales me meis oculis conspexisse. Solent autem a dextra sinistrorsum duci, diversa quidem forma (' ' ' '). Equidem multum studium in eo posui, ut regulas, secundum quas in lapidibus adhiberentur, reperirem, et observavi eos in titulis temporis Tiberii usque ad Septimii Severi tempora, sed eodem denique perveni, quo Marini, ut putarem, haec signa aut non esse veros accentus, aut si essent, tam negligenter et quasi pro lubito posita esse a sculptoribus, ut non nisi raro cum regulis concinerent, quas de accentu in usu fuisse scimus. Et quales regulas observatas esse putes si in eodem vocabulo

---

[a]) Prae ceteris conferendus de hac re *Fr. Ritter*, qui *elementorum grammaticae latinae* libro primo appendicem adiecit *de apice atque inscriptionibus, quae apicibus consignatae sunt* (p. 77—102.)

duo, vel tres, immo quatuor accentus positos esse videas? Ita LVCÍLÍANVM legitur in inscriptione, quam publici iuris fecit Affo (memorie de' scritt. di Parma I, p. IV.) [b]) Tamen in eorum gratiam, qui in hac re operam et studium collocare velint, composui recensum accentuum epigraphicorum, in quem tamen, ut omnis quantum fieri possit error evitetur, ea tantum monumenta retuli, quae aut ipse vidi, aut exscripserat Marini, cuius summa fides, et haec postrema litteris *Mar.* additis a reliquis segregavi. [c]) Supervacaneum autem visum est, in iis inscriptionibus, quae antea iam editae fuerant, addere, sicubi accentus a prioribus editoribus aut omissi aut prave positi fuerunt, cum in nulla re minori cum cura versati sint VV. DD. et accentus tantum non semper neglexerint. Quod monendum fuit, ne quis ex editis libris ea quae posui corrigenda esse putaret. Ceteris praeposui inscriptiones metricas,

---

[b]) Hanc inscriptionem ab Affone diligentissime editam putavit Marini, negat P. de Lama (Iscrizione antiche collocate ne' muri della scala Farnese p. 119), qui cum ab ipso fideliter repraesentatam esse affirmet, hic eam repetam, ut ab eo edita est (cf. Meyer, anthol. n. 1536.)

D. M
XANTHIPPES. SIVE. IAIAE
C. CASSIVS. LVCILIANVS
ALVMNAE. DVLCISSIMAE
SEV. MORTIS. MISERET. SEV. TÉ. VÍTÁE. PERLIGE
NOMEN. XANTHIPPE. IAIA. EAEDEM. LVDICRO
QVOV. EXPRIMENS. DOLÓRE. FVGIT. ANIMA. CORPORE
HIC CONQVIESCIT. CVNIS. TERRAE. MOLLIBVS
QVAM. TRINO. ANNORVM. FÍLO. PROTERENTIA
NOVEM. POST. MENSVM. FATA. CONFICIVNT. MALO
LVES. IGNITA. TORRET. VLTRA. QVINQVE. DIES
VENVSTA. AMOENA. INTER. MORBVM. GARRVLA
QVAM. SI. QVA. PIETAS. INSITA. SIT. COELESTIBVS
VÍVENTI. INGENIO. SÓLI. ET. LVCI. REDDITE
ALTORIS. MEMOREM. QVEM. PARENTES. DIXERANT
CVM. PRIMVM. NATVS. T. LVCÍLIANN
CASSIVM

Vides in eo ipso verbo, ob quod haec inscriptio allata est, differentiam exstare.

[c]) Omisit *Kellermannus* nescio qua de causa ea accentuum exempla, quae *Marini* in libro *de inscriptionibus Albanis* edidit. Ea vero cum eandem quam cetera fidem mereantur, indici inserui arterisco notata, ut a reliquis facile distingui possint.

cum fieri possit, ut hi accentus poetici diversi sint a ceteris, deinde adiunxi vocabulorum recensum, quae cum accentibus reperiuntur in inscriptionibus, ita comparatum, ut ratio habeatur numeri syllabarum, tum litterarum, quae accentum habent. Seiungenda autem ea vocabula duxi, quae non integra, sed decurtata aut per notas scripta exstant, quia in his accentus interdum nihil aliud significare videtur nisi decurtatum esse verbum, sicut in permultis notis hanc lineam superpositam videmus.

INSCRIPTIONES METRICAE.

1. Parva tabula marmorea a me in museo Vaticano exscripta; ediderunt Maffei Mus. Ver. p. 269, 1. Bonada II, p. 131. Osann. syll. p. 458, 190:

VIBIA. PHRYNE. VIXIT TERSENOS. ANNOS
CARA. MEIS. VIXSI. SVBITO. FATÁLE. RAPINA
FLÓRENTEM. VITÁ *J.* *) SVSTVLIT. ÁTRA. DIES
HOC TVMVLO NVNC SVM CINERÉS. SIMVL. NAMQ. SACRÁTI
PER. MATREM CÁRAM. SVNT. POSITIQVE. MEI
QVÓS. PIVS. SAEPE COLIT. FRÁTER. CONIVNXQ PVELLAE
ATQVE OBITVM. NOSTRVM. FLETIBVS. VSQVE FLVVNT
DI. MÁNÉS. MEVNAM. RETINÉTE. VT VIVERE. POSSINT
QVÓS. SEMPER. COLVI. VIVA. LIBENTE. ANIMÓ
VT. SINT QVI. CINERES. NOSTRÓS BENE FLORIBVS. SERTIS
SAEPE. ORNENT. DICAT. SIT. MIHI. TERRA LEVIS

2. Tabula parva marmorea in museo Vaticano a me exscripta; edid. Burmann. Anthol. Lat. IV, 152 t. II, p. 108. [Meyer, Anth. L. 1281]. Murat. 1295, 8. Bonada II, p. 384. Osann. Syll. p. 457, 189:

*) Lineola cum duobus punctis, quae hic duas pentametri partes distinguit, etiam in inscriptione quadam musei Kircheriani invenitur, ubi inter duo disticha interposita est, omissis tamen punctis. Marini, qui eam e Contuccii schedis edidit (Iscr. Alb. p. 109) lineolam omisit, quae linea quarta post vocem LOCO posita est; praeterea l. 1. dedit LE ... pro LEGIT; l. 4. VIXI pro VÍXI; l. 5. SET pro SAT. Quae initia posuit D. M. S. in lapide iam non inveniuntur, aut ab eo praetervisa sunt.

MEMMIA. D. L. ANNA
AC. VELVTI. FORMOSA. ROSAST. CVM. TEMPORE. PRODIT
ARESCIT. CERTO. TEMPORE. DEINDE. SVO
SIC. TV. COEPISTI. PRIMO. FORMOSSA. ANNA. VIDERI
TEMPORE. SED. SVBITO. DESINIS. ESSE. MEA
HOC STABILIS.TVVS.ÉHEV.QVO.POSSVM.MVNERE.PARVO
PROSEQVOR. ATQVE. OPTO. SIT. TIBI. TERRA. LEVIS [d])

3. Fragmentum musei Vaticani.

. . . . . .
VIXIT ✓ ANNIS
DVOB. D. XXV.
FECIT
THREPTVS PATER
QVIS NÓN VOLTA. [e]) RIGET LACRIMIS
MAERORE COACTVS
QVIS NON TRISTITIAM PECTORE
CONCIPIAT

4. Tabula parva marmorea in museo Vaticano a me descripta; edid. Maffei, Mus. Ver. 258, 3. Gori Inscrr.

---

[d]) v. 3. ANNA omis. Burmann et Meyer, vitio quadratarii, qui ex praescriptione repetierit, tribuit Osannus, et sane metram corrumpit. Credo tamen potius ab eo ortum, qui lapidi inscribendum curavit epigramma, non sibi factum, sed aliunde desumtum. Is igitur, ut clare appareret, cui positum esset, *Annae* nomen satis inepte interponendum esse putavit. Idem v. 5 quoque corrupisse videtur ut suum nomen inferciret. Nam qui cum Burmanno *heu* emendaverit pro *eheu*, ut versui consuleret, contra fidem lapidis non solum, sed contra consilium scalptoris faceret, quod accentu super *é* posito satis manifestum est. Quare *éheu* ab auctore epigrammatis profectum esse certum est, diversum autem versus initium ab eo scriptum esse videtur, quod ita mutavit *Stabilis*, ut nomen suum appareret, de metro quid fieret plane securus. Similes Stabiles hodieque reperiri, quis nescit? Ceterum apex h. l. eam ob causam positus esse videatur, quia *eheu* positum sit, ubi spondeo opus sit, quod fieri apud antiquos quidam negarunt, qui tunc *heu heu* scribi voluerunt, quod tamen haudquaquam certum est, cf. Burmann. ad Virg. Ecl. II, 58. Burmann. Sec. ad Anthol. Lat. I, p. 579. II, 528. Drakenb. ad Sil. Ital. XI, 212. Intpp. Pers. Sat. IV, 84.

[e]) Notabilis antiqua forma *volta* pro *vultus*, quam ex Lucretio (IV, 1206) et Ennio affert Nonius p. 256 (ed. Iun.) s. v. *vultus*. Verbi *rigare* hoc sensu a poetis usurpati exempla habet Forcell.

Etrusc. III, p. 113. Orell. 1200. Osann. syll. p. 461, 196: f)

GRAMMATICVS. LÉCTORQVE FVI.
SET' LECTOR' EORVM' MÓRE'IN'COR
RVPTÓ' QVI PLACVERE' SONÓ COIVGIS.
EXIGVÓ' NATAE' PIETATE' SEPVLTVS'
HÓC MARIVS' FIDENS' CONTEGOR Á TVMVLO
V MARIA DIDYME J MARIA. ACHELOIS'
VIVIT ☉
TII LAPIS OPTIISTOR LIIVITIIR SVPIIR OSSA. RIISIDAS

5. Tabula marmorea, quam in museo Kircheriano exscripsi; ed. Muratori 1551, 4.

---

f) Osannus in Addendis p. 583 rectius constituit epigramma, quam ex vitioso Hasii apographo ediderat, iam ex Kellermanni fide v. 5 *Fidens* probabit prae eo quod posuit *Tideus*. De nomine *lectoris* affert Plin. epp. I, 15. IX, 17 ubi cum comoedo et lyriste etiam lector (ἀναγνώστης, adde Plin. III, 5. VIII, 1. Suet. Aug. 78.) commemoratur, servus, qui inter coenam, ut moris erat (cf. Iuv. XI, 177 sqq.), e libro quaedam legit. Quod eorum exemplum secutum se esse praedicat, qui *incorrupto sano* placuere, est sane in lectione hoc summum, et videtur ad perversum recitandi morem spectare, quo *cantabant* potius, quam legebant, vitio satis vulgari, de quo facetum illud Caesaris narrat Quintilianus (I, 8, 2): *Si cantas, male cantas, si legis, cantas;* cf. Heinrich ad Iuv. 1, 3. Neque tamen negligendum, hunc nostrum *grammaticum* fuisse, cuius praecipua cura in *legendis scriptoribus* posita fuit, cf. Suet. ill. gramm. 2. *hactenus imitati, ut carmina parum adhuc divulgata — legendo commentandoque etiam ceteris nota facerent.* Et cum initio revera legendo scriptores potissimum auditoribus explicassent et emendassent, postea etiam id ipsum verbum in usu fuit de officio grammatici, unde illud in subscriptionibus codicum frequentatum *legi et emendavi* ortum est, de quibus mox uberius disputabo, ubi nova quaedam exempla proferam. Sic etiam rectissime praedicari sonum incorruptum, docet Quintilianus l. l., ubi de *lectione* agit, idemque cantandi vitio intolerabili in causis omnibus *scholisque* laborari queritur (XI, 3, 57 cf. Iuv. VII, 153). Haud recte in vs. 5 versatus esse videtur Osann. VIVIT enim, quod insolenter unum versum impleat, cum Gorio omittit, ut aliunde huc translatum, nisi potius VIVITE legendum sit, et V quod initio lineae positum est *Valete* explicat. Verum hic ut aliis locis, de quibus supra iam vidimus ad A. n. 4, V nihil aliud est, nisi *Vivit*, quod infra plane scriptum extat. Neque locus, quem hoc verbum occupat, offensioni potest esse consideranti, quam saepe in titulis eo modo addita sint, quae omiserat quadratarius, cf. Marin. frat. Arv. p. 491. *Maria* igitur *Didyme* et *Maria Achelois* viventes hunc titulum *Mario Fidenti* posuerunt. — II pro E positum multis exemplis probatum est in indice Gruter.

OCTAVIA · L · ET · Ɔ · L · ARBVSCVLA

V. A. XXIII. ET. MENSES. X

TVCCIA. Ɔ. L. VRBANA · MATER EIVS

TERMINVS. EST. VITAE. NOSTRAE. TERTIVS ET. VICENSIMVS
ANNVS.CVM.ME.FLORENTEM. MEI.COMBVSSERE.PARENTES
VIXI. EGO. DVM. LICVIT. SVPERIS ACCEPTIOR. VNA
QVOI. NÉMO. POTVIT. MALEDICERE. ACERBO
CRVDELE. PATER. FVNVS. NATI. VIDISSE. VIDERIS
ET. PIA. COMPLEXV. MATER. SPOLIATA. SENESCENS
ATTV. DVLCIS. SOROR. EXSTINCTO. ME. SOLARE. PARENTES
CRVDELIS. PLVTON. NIMIVM. SAEVITE. RAPINAE

PARCE. PRECOR. NOSTRAM. IAM. LACERARE. DOMVM
TE. LAPIS. OPTESTOR. LEVITER. SVPER OSSA. RESIDAS
NE. NOSTRO. DOLEAT. CONDITVS. OFFICIO
DESINE. IAM. FRVSTRA. MATER. MEA. DESINE. FLETV. TE
MISERAM. TÓTOS. EXAGITARE. DIES
NAMQVE. DOLOR. TÁLIS. NON. NVNC TIBI. CONTIGIT. VNI
HAEC. EADEM. ET. MAGNIS. RÉGIBVS. ACCIDERVNT 5)

5) Hoc epigramma illustrissimum exemplum est impudentiae et ignorantiae, qua carmina sepulcralia composita et compilata sunt, nam omnia fere, quae hic legimus, in aliis quoque inscriptionibus reperiuntur. Notarunt VV. DD. hunc morem, versus aliunde desumtos vel integros vel paullum immutatos inserendi, non solum poetarum clarorum, Virgilii inprimis (cf. Marini, Iscr. Alb. p. 144. frat. Arv. p. 826 sq. papiri diplomat. p. 332 sq.), sed ex aliis epigrammatis sepulcralibus decerptos in titulis adhibendi (Marin. fr. Arv. p. 493. sq. Cavedoni, marmi Mod. p. 282.) Cum nostro prae ceteris comparandus est alter titulus mutilatus, a Cardinalio

6. Perusiae apud P. Priorem S. Constantii; ed. Marini (frat. Arv. p. 713):

. . . . . .
. . . . . ALEN . . . . .
. . . . P. L. SODALA . . . .
. . . TRIBVS. ET. XL. AN. . . .
HIC. MIHI. SVNT. SEDES. AE. . .
OSSAQVE. DILECTAE. CON. .

editus (Iscr. Velit. p. 122), qui nostrum conferre neglexit. Is vero ita se habet:

. . . . LIVS. P. ET. CLODIA. L. L. OPTATVS . . . .
. . . . . VIXIT. ANNOS. VI. M. VIII . . . . .
FLORENTEM. MEI. CON . . . . . VSSERE. PARENTES
. . VM LICVIT. SVPERIS . . . . ACCEPTIOR. VNVS
. . . . . TVIT. VERBO. MALEDICERE. ACERBO
. . . . AD. SVPEROS. QVOS. PIETAS. COGI . . .
. . . . . ODESTE. NVNC. VOS. QVOI . . . . .
. . . . . IS. DICIDE. OPTATE. SIT . . . . . .
. . . . . O. ANNORVM. NONDVM . . . . .
. . . . . VM. AD. MORTEM. MATRIS . . .
. . . . MANIBVS. CARI. FVI. VIVOS. CARI . . .
ADVERSVS. QVA. ME. SVSTVLIT. O . . . . . .
DESINE. IAM.. FRVSTRA. MEA. MATER . . . . . .
TE. MISERAM. TOTOS. EXAGITARE. DIE . . . .
NAMQVE. DOLOR. TALI. NON. NVNC. TIBI . . . . .
HAEC. IDEM. ET. MAGNIS. REGIBVS . . .
CLARA AMARANTO . . .
. . . . AV . . . . . .

Primos et ultimos versus ex nostro titulo facillimo negotio suppleri posse vides, simulque apparet, lapidis fragmenta non recte esse coniuncta, nam l. 3 non deest nisi littera B, quarta autem nihil; initio potius linearum maior lacuna statuenda est. Quae media interposita sunt num ex alio epigrammate edito redintegrari possint, nescio; l. 8 legendum videtur: DICITE. OPTATE. SIT. TIBI. TERRA. LEVIS. Ad nostrum titulum revertamur. Quod initio legitur TERMINVS EST VITAE NOSTRAE ex alio carmine desumtum videtur, cui satis absurde adiectum est TERTIVS. ET. VICENSIMVS. ANNVS, quo scilicet mortua est *Octavia Arbuscula*. Quae sequuntur fideliter transscripta sunt ex titulo modo laudato, unde servata esse videtur v. 4 forma QVOI, quae in altero l. 7 quoque legitur. Apte v. 3 VNA scriptum est pro VNVS, cum carmen translatum sit ad puellam, et aperto quadratarii errore v. 4 VERBIS pro VERBO. Ceterum notandum *acceptior unus*, nam *unus* superlativo iunctum frequentissimum quidem est, cum comparativo non item. — Tres, qui sequuntur versus, quamquam tam turpes sunt, ut vix versus vocari queant, tamen aliunde mutuatus esse videtur, qui nostrum epigramma composuit, ut ex v. NATI concludere licet, quod in NATAE mutandum fuisset. — Quod sequitur distichon, num alibi quoque legatur,

7. Grut. 823, 2: „Romae in domo Lud. Matthaei. E Mazochio e L. Budaei schedis viditque Metellus. Antiquos esse versus non credit Smetius.“ Marini l. l. [Anthol. L. IV, 8. Meyer 1150]. Omisimus quae sermone pedestri praemissa sunt versibus.

QVI. DVM. VITA. FVIT. SEMPER. VIVEBAT. AVARVS. HEREDI. PARCENS INVIDVS. IPSE. SIBI
HIC. ACCVMBENTEM. SCVLPI GENIALITER. ARTE. SE. IVSSIT. DOCTA. POST. SVA. FATA. MANV
VT. SALTEM. RECVBANS. IN. MORTE. QVIESCERE. POSSET. SECVRAQVE. IACENS. ILLE. QVIETE. FRVI
FILIVS. A. DEXTRA. RESIDET. QVI. CASTRA. SECVTVS. OCCIDIT. ANTE. PATRIS. FVNERA. MAESTA. SVI
SED. QVID. DEFVNCTIS. PRODEST. GENIALIS. IMAGO. HOC. POTIVS. RITV. VIVERE. DEBVERANT.

8. Grut. 864, 4: „Sine loco. E Fulvio Ursino.“ Marini l. l. [Anth. L. IV, 232. Meyer 1338.]:

C. CANINIVS. C. F.
ARN. LABEO. PATER
OMNES. HEI. MEI. SVNT. FILIVS. ILLVM. MANV
ILLE. ILLAM. MERITO. MISSIT. ET. VESTEM. DEDIT
QVOAD. VIXSI. VIXSERE. OMNES. VNA. INTER. MEOS
EVNDEM. MI. AMOREM. PRAESTAT. PVERILEM. SENEXS
MONVMENTVM. INDICIOST. SAXSO. SAEPTVM. AC MARMORE
CIRCVM. STIPATVM. MOERVM. MVLTIS. MILLIBVS

non habeo dicere; *saeviri* deponens alio loco, quod sciam, non reperitur. Distichon autem, quod hoc excipit in epigrammatis sepulcralibus paullum immutatum saepissime repetitur, eademque res est cum quatuor versibus extremis, qui et ipsi haud paucis lapidibus inscripti sunt. De utrisque utique conferendus Marini fr. Arv. p. 494. In universum nihil frequentius in titulis sepulcralibus, quam illud commune solatium, neminem esse immortalem, quod ex inscriptionibus illustrarunt Marini (Iscr. Alb. p. 129) et Cardinali (Iscr. Velit. p. 122 sqq.).

9. Grut. 990, 10: „Romae in domo Ursinorum e regione palatii cardinalis de la Valle ara marm. Vidit Smetius.“ Marini l. l. [Anthol. L. IV, 151. Meyer 1280]:

HVNC. EGO. NVNC. TITVLVM. STATVO
TIBI. CARISSIME CONIVNX
LVCTVOSVMQVE MIHI
QVI. SCIO. QVID *Hic aquila expansis alis subvolans sculpta est.* FVERIS
EXTREMVM OFFICIVM
QVONIAM. TIBI REDDERE. COGOR
ET. MERITO. HOC. FIERI. TESTIS
ET. IPSE. LOQVOR NVNC. VOS
CONTESTOR. MANES. QVIBVS. OSSA RELINQVO
TELLVS. HVIC TVMVLO. NE
GRAVIS. ESSE VELIS [h])

INSCRIPTIONES PROSARIAE.

Praemittam e schedis meis eas inscriptiones, quas postea respiciam, et quas ineditas esse puto.

10. Tabula marmorea in museo Vaticano a me descripta:

DIS. MANIB
SACR
IVNIA. PANNY-IS
MODESTO
NEPOTI. SVO

11. Cippus magnitudinis extraordinariae marmoreus, Ostiae ut videtur inventus, nunc in museo Vaticano collocatus, ubi inscriptionem descripsi. Credo autem, quam suspicionem iam confirmare non possum, esse hanc eandem inscriptionem, de qua loquitur Marini (frat. Arv. p. 298, not. 50), quod si verum esset, edita iam exstaret (Novelle di Firenze 1780 p. 599):

---

h) Hic addenda foret inscriptio poetica apud Marinium (Iscr. Alb. p. 87), quae quoniam longior est, et legi potest in Anthol. Lat. VI, 351; Meyer n. 1435, hic tantum afferam voces accentu signatas. Legitur ergo v. 3 NÓN, v. 5 COGNÓMINIS, v. 6. NVMERÓSA, v. 10. HVMÓ.

P. HORATIO
CHRYSEROTI
SEVIRO. AVGVSTAL. IDEM
QVINQ. ET. IMMVNI. LARVM. AVG
EX. S. C. SEVIRI. AVGVSTALES. STATVAM
EI. PONENDAM. DECREVERVNT. QVOD
IS. ARCAE.-EORVM. HS L̄. M̄. N̄. DEDERIT
EX. QVA. SVMMA. HS X̄. M̄. N̄. OB. HONOREM. CVRAE
SEX. HORATI. CHRYSEROTIANI. ET. RELIQVORVM
HS XL̄. M̄. N̄. EXCEPTA. STIPVLATIONE. EX. VSVRIS
SEMISSIBVS. ET. M. I. I. S. S. S. QVODANNIS i) IDIB. MARTIS
NATALI. SVO INTER. PRAESENTES. HORA. IĪ. VSQVE
AD. ASSE. DIVIDATVR. DEDVCTA. ORNATIONE. STATVAE
ET. FAMILIAE AVGVSTAL. HS C. N̄. QVOTSI. ITA
FACTVM NON ERIT. TVM EA. HS XL. M̄. N
DARI REI. P. OST SVB EADEM CONDICIONE
QVA. S. S. EST OB CVIVS DEDICATIONE DEDIT
DECVRIONIBVS * V. ET AVGVSTALIBVS. * V
ISQVE HONORE SIBI HABITO SVMPTVM STA
TVAE ORDINI AVGVSTALIVM REMISIT

12. Tabula parva marmorea, Romae in aedibus Rondaniniis exscripta:

M. ATTIVS. M. L GRÁTAE
DIOGENES. ET LIBERTAE

13. Tabula marmorea, Ostiae reperta, in museo Vaticano a me descripta.

C. FABIÓ LONGÍ. P. P. F
LONGÍ. P. P. N. FABÍ. RVFÍ
PRÓ. N. C. GRATTÍ. AB. N.
VOT. AGRIPPÁE
PRÁETORI. SACRÍS. VOLK... k)
DEC. DECR. DECVRI....
AEDILI IĪ . . . . . .
. . . . . .

i) OVODANNIS etiam in inscriptione apud Gorium Inscr. Etrur. I, p. 316 reperies, cf. Noris. Cenot. Pis. diss. IV, 2, p. 452 sq. Contra I. 14 QVOTSI scriptum est, quod et ipsum frequens in marmoribus est.

k) De praetoribus sacris Volcanalibus faciundis, quorum in lapidibus Ostiensibus frequens mentio est, cf. Marini Iscr. Alb. p. 58. frat. Arv. p. 357.

14. Tabula marmorea Romae in villa Saintaulaire ad portam Salariam.

(Corona)
D v M
ANTIGONO. CAÉS.
N̄. SERV. VERNÁE.
V. AN. XVII. MEN. X. D. XI
EPAPHRA. ET. PRIMA
PARENTES. FIL. KAR.
FECER. ET. SIBI.
ET. SVIS

15. Similis tabula musei Vaticani.

D. M. S
VLPIÁE. ONÉSIMES
M. VLPIVS. AVG. LIB.
AGATHANGELVS
CONIVGI' FÉCIT

16. Similis tabula in museo Regio Berolinensi a me descripta, litteris pulcherrimis exarata.

(Puellae imago)
DIS ^ MAN ^
FERONIA ^ AEPI
CHARIS ^ MATER
PIISSIMA. FERONIAE ^
SAECVNDAE ^ B ^ M ^
F ^ V. A ^ XX ^ V
M ^ IV ^

17. Altera tabula marmorea in villa Saintaulaire:

D Δ M
DIADVMENO
CONTVBERN
BENE. MERENTI
VIXIT Δ ANNIS
XXXIII. M. XI. D. XXII
SECVNDILIS MINIC
FAVSTINI. SER. FEC. SIBI. E
SVIS. POSTERISQ. OMN

18. Cippus marmoreus Romae in aedibus Falconieriis; simpulum et patera lateribus insculpta sunt:

(Puellae imago)
D ♄ M
C. IVLIVS. IVSTVS
IVL. FIL. COCCEI
ENIÁE. HELPIDI
CONIVGI. B. M. F.
ET S. P

VOCABULA MONOSYLLABA.

Á	Bullet. d. Inst. 1835 p. 158 *bis.*
	Murat. 165, 2.
	*Marin. Iscr. Alb. p. 119.
	*Marin. Iscr. Alb. p. 136.
QVÁS	Fabr. 449, 59. *Mar.*
ET	Murat. 98, 3. *Mar.*
EX	Grut. 99, 1.
*DÉ	Marin. Iscr. Alb. p. 10.
SÉ	Grut. 604, 7.
	Murat. 2091, 4. *Mar.*
TÉ	Oderici Syll. p. 206. *Mar.*
*RÉS	Marin. Iscr. Alb. p. 137.
*LÉX	Marin. Iscr. Alb. p. 138.
DÍS	n. 10.
	Murat. 945. 4. *Mar.*
DÍS	Fabr. 217, 563. *Mar.*
	Murat. 2091, 4. *Mar.*
ÓB	Grut. 99, 1.
*PRÓ	Marin. Iscr. Alb. p. 13.
QVÓ	Murat. 1381, 12.
*TÝ	Marin. Iscr. Alb. p. 138.

VOCABULA BISYLLABA.

CÁRAE	Marin. Fr. Arv. p. 710.
*PÁCE	Marin. Iscr. Alb. p. 13.
PÁCI	Fabr. p. 695, 162. *Mar.*

SÁCRIS	Bullett. d. Inst. 1835 p. 158.
*ÁCTIS	Marin. Iscr. Alb. p. 139.
TÁLEM	Oderic. Syll. p. 206. *Mar.*
FRÁTRI	Murat. 900, 8. *Mar.*
	Visconti M. PioCl. II, p. 21. (82 ed. Mil.) *Mar.*
FRÁTRES	Amaduti Anecdd. I, p. 468.
GRÁTAE	n. 12.
STÁTI	Grut. 995, 10. *Mar.*
AÉRE	Fabr. 449, 59. *Mar.*
FÉCIT	Marin. Fr. Arv. p. 711.
	Marin. Fr. Arv. p. 712.
FÉLIX	Marin. Fr. Arv. p. 712.
LÉMNVS	Marin. Iscr. Alb. p. 94.
TÉRPNI	Murat. 1367, 1. *Mar.*
*DÉRVNT	Marin. Iscr. Alb. p. 139.
PRÍMA	Marin. Fr. Arv. p. 711.
*TVA (ablat.)	Marin. Iscr. Alb. p. 139.
VNA DOMO	Marin. Fr. Arv. p. 712.
*TVOS	Marin. Iscr. Alb. p. 138.
*PASSÁ	Marin. Iscr. Alb. p. 136.
*MEÁ	Marin. Iscr. Alb. p. 137.
*FIRMÁ	Marin. Iscr. Alb. p. 139.
*VITÁ	Marin. Iscr. Alb. p. 138.
*NOSTRÁ	Marin. Iscr. Alb. p. 138.
VNÁ (adverb.)	Marin. Fr. Arv. p. 712.
EX SVÁ	Fabr. 449, 59. *Mar.*
*TVÁ (ablat.)	Marin. Iscr. Alb. p. 137.
OLLÁS	Nov. di Fir. 1772 p. 625.
VERNÁE	n. 10.
NERVÁE	Tab. Arv. XXVI.
VALÉ	Oderic. Syll. p. 206. *Mar.*
FABÉR	Marin. Fr. Arv. p. 712.
*PEDÉS	Marin. Iscr. Alb. p. 137.
HERMÉS	Grut. 966, 1. *Mar.*

*VIREÍS	Marin. Iscr. Alb. p. 139.
*DOLÉNS	Marin. Iscr. Alb. p. 137.
FABÍ	n. 13.
RVFÍ	n. 13.
LONGÍ	n. 13.
**istí*	Marin. Iscr. Alb. p. 137.
GRATTÍ	n. 13.
NAVÍ	Murat. 98, 3. *Mar.*
MATRÍ	Murat. 98, 3. *Mar.*
*MEÍS	Marin. Iscr. Alb. p. 63.
SACRÍS	n. 13.
FECIT	Nov. di Fir. 1772 p. 625.
EÓ	Bullet. d. Inst. 1831 p. 137.
SVÓ	Marin. Fr. Arv. p. 711.
	n. 10.
PRIMÓ	Fabr. 449, 59. *Mar.*
*VERÓ	Marin. Iscr. Alb. p. 138.
*MEÓS	Marin. Iscr. Alb. p. 138.
	Marin. Iscr. Alb. p. 139.
IDVS	Tab. Arv. XXVI.
*CASVS	Marin. Iscr. Alb. p. 139.
*SENSVS	Marin. Iscr. Alb. p. 138.
*STATVS	Marin. Iscr. Alb. p. 139.
*FRVCTVS	Marin. Iscr. Alb. p. 139.
*PARTVS	Marin. Iscr. Alb. p. 138.
*FÁMÁ	Marin. Iscr. Alb. p. 139.
MÁRRÁ (cognomen virile nominat. casu)	Marin. Fr. Arv. p. 711.
*MÁNÉS	Marin. Iscr. Alb. p. 139.
*FÁTÓ	Marin. Iscr. Alb. p. 138.
SÉDES	Murat. 444, 1. *Mar.*
*LÉMNÓ	Marin. Iscr. Alb. p. 94.
*CÓNSTÓ	Marin. Iscr. Alb. p. 139.

ÉN*tus* (emptus)	Marin. Fr. Arv. p. 712.
Fecit	Murat. 1258, 8. *Mar.*

Fori	Grut. 99, 1.
Marco	Passion. Iscr. ant. 87, 24. *Mar.*
Mille HS	n. 11.
QVIB*us*	Grut. 99, 1.

VOCABVLA TRISYLLABA.

*ÁMISI	Marin. Iscr. Alb. p. 139.
MÁNIBVS	Passion. 110, 29.
	Giorn. Arcad. XXVIII, p. 350.
	Murat. 1381, 12.
	Grut. 1047, 1.
	Murat. 2068, 4.
	Nov. di Fir. 1772 p. 628.
	Marin. Fr. Arv. p. 711 *bis.*
	Murat. 2091, 4. *Mar.*
	Murat. 1571, 4. *Mar.*
	Murat. 900, 8. *Mar.*
	Murat. 891, 2. *Mar.*
	Passion. 100, 12. *Mar.*
FÁTALIS	Marin. Fr. Arv. p. 712.
PÁRENTES	Marin. Fr. Arv. p. 711.
SÀBINA	Marin. Fr. Arv. p. 712.
FLÁVIVS	Cecconi p. 27. *Mar.*
CAÉSARIS	Murat. 900, 8. *Mar.*
	Murat. 893, 2. *Mar.*
	*Marin. Iscr. Alb. p. 13.
STÁTIVS	Grut. 995, 10. *Mar.*
*PRAÉFERAM	Marin. Iscr. Alb. p. 137.
PRÁETORI	n. 13.
CLÀVDIVS	Marin. Fr. Arv. p. 712.
FÉCERVNT	Passion. 53, 68.
*ÉDICTI	Marin. Iscr. Alb. p. 137.
*DÉDVCTI	Marin. Iscr. Alb. p. 114.
*DÉFVIT	Marin. Iscr. Alb. p. 137.

EGERIT	Oderic. Syll. p. 206. *Mar.*
*FÉMINIS	Marin. Iscr. Alb. p. 137.
*ÉRVAM	Marin. Iscr. Alb. p. 136.
CRÉSCENTI	Amadut. Anecdd. I, p. 468.
CLÓDIA	Marin. Fr. Arv. p. 711.
DÓNAVIT	Maffei Mus. Ver. 257, 5.
*NÓNIO	Marin. Iscr. Alb. p. 13.
*NÓNIVS	Marin. Iscr. Alb. p. 114.
VXSORI	Murat. 1367, 1. *Mar.*
CVTIAE	Marin. Fr. Arv. p. 713 *bis.*
*LVCTVMQVE	Marin. Iscr. Alb. p. 139.
MVCIVS	Marin. Fr. Arv. p. 712.
IVLIVS	Murat. 304, 3. *Mar.*
	Passion. 87, 24.
IVLIO	Visc.M.PioCl.II,p.21(82). *Mar.*
IVLIAE	Visc.M.PioCl.II,p.21(82). *Mar.*
MVLIVS	Grut. 985, 6.
MVLIA	Grut. 985, 6.
IVNIA	n. 10.
EVFIAE	Murat. 1014, 7. *Mar.*
CVSPIAE	Murat. 1574, 14.
VESTÁLIS	Marin. Fr. Arv. p. 711.
CALÀMVS	Murat. 891, 2. *Mar.*
DIÁNAE	Visc.M.PioCl.II,p.21(82). *Mar.*
*SILVÁNVM	Marin. Iscr. Alb. p. 10.
CAESÁRI	Marin. Fr. Arv. p. 710.
CAESÁRIS	Marin. Fr. Arv. p. 710.
*TERRÁRVM	Marin. Iscr. Alb. p. 137.
EX. PECVNIA. COLLÁTA	Fabr. 449, 59.
*RAPSÁTA	Marin. Iscr. Alb. p. 137.
FECÉRVNT	Grut. 986, 7. *Mar.*
*SEVÉRVS	Marin. Iscr. Alb. p. 114.
REPLETA	Marin. Iscr. Alb. p. 137.
*MONÉTA (ablat).	Marin. Iscr. Alb. p. 10.
HYMÉTO	Visc.M.PioCl.II,p.21(82). *Mar.*

IVLÍAE	Grut. 1142, 10. *Mar.*
VIBÍVS	Marin. Fr. Arv. p. 712.
CVTÍAE	Marin. Fr. Arv. p. 713.
GAVÍVS	Marin. Fr. Arv. p. 710.
*FERÓCI	Marin. Iscr. Alb. p. 72.
PATRÓNAE	Passion. 62, 10.
EÓRVM	Passion. 62, 10.
	Passion. 95, 74. *Mar.*
*MEÓRVM	Marin. Iscr. Alb. p. 137.
VXÒRI	Grut. 1142, 10. *Mar.*
LABÓRI	Oderic. Syll. p. 206. *Mar.*
*FORTÚNA	Marin. Iscr. Alb. p. 137.
*SEIÚNCTVM	Marin. Iscr. Alb. p. 138.
*FVTÚRVM	Marin. Iscr. Alb. p. 138.
MELLÚSAE	Grut. 806, 2. *Mar.*
*SALÚTE	Marin. Iscr. Alb. p. 10.
*AQVILÁ	Marin. Iscr. Alb. p. 13.
*FILIÁ	Marin. Iscr. Alb. p. 138.
CYRILLÁ (nomin.)	Marin. Fr. Arv. p. 712.
SINE. QVERELLÁ	Murat. 1381, 12.
IVCVNDÁE	Marin. Fr. Arv. p. 712.
AVIÁE	Marin. Fr. Arv. p. 713.
*PATRIÁE	Marin. Iscr. Alb. p. 136.
VLPIÁE	n. 15.
VRSVLÁE	Passion. 110, 29.
SABINÁE	Marin. Fr. Arv. p. 713.
AGRIPPÁE	n. 13.
*EPAPHRÁE	Marin. Iscr. Alb. p. 63.
MERITÁE	Grut. 1142, 10. *Mar.*
*ALIÁS	Marin. Iscr. Alb. p. 137.
ANAPHÉ (dativ.)	Grut. 966, 1. *Mar.*
HEORTÉ	Passion. 101, 15. *Mar.*
HELENÉS	Murat. 1571, 4. *Mar.*
MYRSINÉS	Grut. 1142, 10. *Mar.*
*PARARÉS	Marin. Iscr. Alb. p. 138.

PARENTÉS	Passion. 53, 68. *Mar.*
*DIFIDÉNS	Marin. Iscr. Alb. p. 137.
VIDERÍ	Oderic. Syll. p. 206. *Mar.*
AMICÓ	Passion. 87, 24. *Mar.*
*DEBEÓ	Marin. Iscr. Alb. p. 136.
*ADEÓ	Marin. Iscr. Alb. p. 138.
FILIÓ	Guasco Inscr.M.C.II,n.626.*Mar.*
	Marin. Fr. Arv. p. 710.
	*Marin. Iscr. Alb. p. 72.
VILIÓ	Murat. 2068, 4.
*GENIÓ	Marin. Iscr. Alb. p. 13.
BASSIÓ (nomin.)	Passion. 101, 15. *Mar.*
*SENTIÓ	Marin. Iscr. Alb. p. 23.
OPTIMÓ	Passion. 87, 2.
*CONIVNCTÓ	Marin. Iscr. Alb. p. 137.
MODESTÓ	n. 10.
*LIBERÓS	Marin. Iscr. Alb. p. 138.
*FVTVRÓS	Marin. Iscr. Alb. p. 138.
TAMDIV	Oderic. Syll. p. 206. *Mar.*
PERMISSV	Giorn. Arcad. 1819 p. 55.
FILIVS	Marin. Fr. Arv. p. 712.
TELEPHVS	Murat. 98, 3. *Mar.*
*SPIRITVS	Marin. Iscr. Alb. p. 137.
FÁDÉNI	Fabr. 88, 190. *Mar.*
FLÁVIÓ	Amadut. Anecdd. I, p. 468.
CLÓDIÁE	Marin. Fr. Arv. p. 711.
IVLIÁE	Murat. 1357, 8. *Mar.*
*IVNIÁS	Marin. Iscr. Alb. p. 13.
COLLÁTÓ	Fabr. 449, 59. *Mar.*
POÉMNE	Fabr. 616, 138. *Mar.*
PATRÓNÓ	Amadut. Anecdd. I, p. 468.
PANDVSÁE	Giorn. Arcad. 1829 p. 55.
*PÁCÁTÓ	Marin. Iscr. Alb. p. 137.
*FÉLÍCÍ	Marin. Iscr. Alb. p. 63.

Ḿ*anibus*	Fabr. 217, 563. *Mar.*
MÁN*ibus*	Murat. 1476, 7. *Mar.*
MAN*bus*	n. 16.
MÁNIB*us*	Maffei Mus. Ver. 257, 5.
	n. 10.
	Marin. Fr. Arv. p. 711.
	Murat. 945, 4. *Mar.*
	Passion. 96, 81. *Mar.*
GÁL*liae* (?)	Murat. 1258, 8. *Mar.*
CAÉS*ario*	n. 14.
*Ḿ*ensibus*	Marin. Fr. Arv. p. 263 *bis.*
*ĆN*eio*	Marin. Iscr. Alb. p. 28.
AV́G*usti*	n. 15.
VOLḰ*ano*	n. 13.
LIB́*erta*	Bullet. d. Inst. 1835 p. 158.
PV́B*lico*	Marin. Fr. Arv. p. 713.
Ĺ*ucius*	Marin. Fr. Arv. p. 710.
IV́L*ius*	Grut. 1142, 10. *Mar.*
IV́N*ias*	Grut. 99, 1.
CV́R*avit*	Marin. Fr. Arv. p. 710.
ARGÉN*ti*	Marin. Fr. Arv. p. 712.
FECÉ*runt*	Bullet. d. Inst. 1835 p. 158.
FECÉR*unt*	Murat. 2091, 4. *Mar.*
IMḾ*unis*	Grut. 99, 1.
CVLTÓ*rum*	Murat. 98, 3. *Mar.*

VOCABVLA QVATTVOR SYLLABARVM.

CÁLEIVS	Cecconi p. 27. *Mar.*
VÁLERIVS	Marin. Fr. Arv. p. 710.
CÁRISSIMAE	Grut. 966, 1. *Mar.*
STÁTILIO	Murat. 304, 3. *Mar.*
*AÉDITVI	Marin. Iscr. Alb. p. 10.
*AÉDITVVS	Marin. Iscr. Alb. p. 10.
DÉCESSERIT	Passion. 62, 10.

SÉCVNDILLAE	Marin. Fr. Arv. p. 711.
*ÉLOCVTA	Marin. Iscr. Alb. p. 138.
*ÉRIPVIT	Marin. Iscr. Alb. p. 139.
DÍVNXISSET	Marin. Fr. Arv. p. 712.
ÔRNAMENTA	Grut. 481, 9. *Mar.*
LVCILIVS	Grut. 985, 6.
IVDICIVM	Oderic. Syll. p. 206. *Mar.*
*EFFICÁCIVS	Marin. Iscr. Alb. p. 137.
GERMÂNICO	Marin. Fr. Arv. p. 710.
*INÁNITER	Marin. Iscr. Alb. p. 163.
ROTÁNIVS	Cecconi p. 27. *Mar.*
*KALÁTORI	Marin. Iscr. Alb. p. 72.
*PROCÉDERE	Marin. Iscr. Alb. p. 137.
PANÉROTIS	Marin. Fr. Arv. p. 631 *ter.* [Kellermannus, qui inscriptionem denuo contulerat, addidit accentum a Marinio omissum.]
ONÉSIMES	n. 15.
SABÍNIO	Murat. 1367, 1. *Mar.*
*APÍSIO	Marin. Iscr. Alb. p. 63 *bis.*
EVHÓDIAE	Passion. 75, 70. *Mar.*
ANTÓNIAE	Murat. 1571, 4. *Mar.*
TVTÓRIA	Visc. M. Pio Cl. II, p. 21 (82). *Mar.*
VXÓRIQVE	Passion. 62, 10.
ARRÝNTIA	Marin. Fr. Arv. p. 712.
CREPVSIAE	Murat. 1533, 11. *Mar.*
*VIRTÝTIBVS	Marin. Iscr. Alb. p. 137.
*NATVRÁLIS	Marin. Iscr. Alb. p. 139.
LOLLIÁNIS	Murat. 891, 2. *Mar.*
ZOELÁRVM	Murat. 330, 6.
POTESTÁSQVE	Passion. 62, 10.
FORTVNÁTA	Amadut. Anecdd. I, p. 468.
*ORBITÁTE	Marin. Iscr. Alb. p. 137.
LIBERTÁTI	Murat. 10, 5. *Mar.*
OCCVPÁVIT	Nov. di Fir. 1772 p. 625.

QVADRAGENA	Oderic. Syll. p. 206. *Mar.*
POSVÉRVNT	Marin. Fr. Arv. p. 712.
*PARARÉSQVE	Marin. Iscr. Alb. p. 138.
SATVRNÍNI	Murat. 1367, 1. *Mar.*
PEDAGÓGO	Visc.M.PioCl.II,p.21 (82). *Mar.*
PATRIMÓNI	Marin. Iscr. Alb. p. 94.
IDEÓQVE	Oderic. Syll. p. 206. *Mar.*
AMICÓRVM	Fabr. 449, 59. *Mar.*
*MERITÓRVM	Marin. Iscr. Alb. p. 137.
PVERÓRVM	Marin. Fr. Arv. p. 711.
SOCIÓRVM	Fabr. 449, 59. *Mar.*
PANERÓTIS	Murat. 1571, 4. *Mar.*
*INPORTVNAM	Mar. Iscr. Alb. p. 137.
INSVMPTVRVM	Oderic. Syll. p. 206. *Mar.*
RESTITVTVS	Marin. Fr. Arv. p. 711.
EX SVA PECVNIÁ	Fabr. 449, 59. *Mar.*
*CONCORDIÁ	Marin. Iscr. Alb. p. 138.
LARTIENÁ	Murat. 1476, 7. *Mar.*
REPVBLICÁ	Marin. Iscr. Alb. p. 137.
CARISSIMÁE	Grut. 1142, 10. *Mar.*
SATVRNINÁE	Marin. Fr. Arv. p. 711.
*NECESSITÁS	Marin. Iscr. Alb. p. 138.
*CV*pid*ITAS	Marin. Iscr. Alb. p. 138.
*POSTERISQVÉ	Marin. Iscr. Alb. p. 108.
*ADF*ir*MARÉS	Marin. Iscr. Alb. p. 138.
*SACERDOTÍ	Marin. Iscr. Alb. p. 143.
ARCHITECTÓ	Maffei Mus. Ver. 257, 5.
PVPILLATV	Visc.M.PioCl.II.p.21 (82). *Mar.*
CAÉSÓNIA	Murat. 1649, 6. *Mar.*
ÓRÁCVLO	Orell. 2134.
*NÓTÉSCERET	Marin. Iscr. Alb. p. 137.
*PÓMPÓNIO	Marin. Iscr. p. 23.
CVRATÓRES	Murat. 10, 5. *Mar.*
VÁLERIÁ (nominat.)	Marin. Fr. Arv. p. 711.
*ASPRÉNÁTE	Marin. Iscr. Alb. p. 13.

FORTVNÁTA	Marin. Fr. Arv. p. 711.
*VICTÓRIÁ (ablat.)	Marin. Iscr. Alb. p. 13.
BVRRIÁNÓ	Amadut. Anecdd. I, p. 468.
*IVLIÁNÓ	Marin. Iscr. Alb. p. 13.
*CAPITÓNÍ	Marin. Iscr. Alb. p. 63.
*STVDIÓSÓ	Marin. Iscr. Alb. p. 72.
*SVPSTITVTÁ	Marin. Iscr. Alb. p. 138.
ÓRÁCVLÓ	Orell. 2134.
FORTVNÁTÓ	Marin. Fr. Arv. p. 711.

GÁL*eriae (?)*	Murat. 1258, 8. *Mar.*
PÁR*entibus*	Murat. 1258, 8. *Mar.*
SÓD*alium*	Bull. d. Inst. 1835 p. 158.
PRÓC*urator*	Marin. Fr. Arv. p. 711.
	Grut. 619, 1. *Mar.*
VÓL*untate*	Marin. Fr. Arv. p. 710.
PRÓ.N*epoti*	n. 13.
HÓN*oratus*	Grut. 99, 1.
CÓS*ulibus*	Murat. 330, 6.
P*iscarii*	Grut. 99, 1.
⁂ *(denarios)*	Grut. 99, 1.
SACRÁ*rio*	Bull. d. Inst. 1835 p. 158.
DEDÍ*cata*	Grut. 99, 1.
COLLÍ*berto*	Marin. Fr. Arv. p. 713.
EVTYCHE*ti*	Passion. 87, 24. *Mar.*
MÁNÍMIS*so (?)*	Marin. Fr. Arv. p. 713.

VOCABVLA QVINQVE SYLLABARVM.

*ÉLOQVENTIAE	Marin. Iscr. Alb. p. 72.
ÉPITYNCHANVS	Grut. 1142, 10. *Mar.*
FÉCVNDITATI	Marin. Iscr. Alb. p. 137.
*ÓRATIONI	Marin. Iscr. Alb. p. 137.
VENÁLICIO	Marin. Fr. Arv. p. 712.
CAEÍONIAE	Murat. 1258, 8. *Mar.*
AVGVSTÁLIVM	Marin. Fr. Arv. p. 712.

*TITIÁLIVM	Marin. Iscr. Alb. p. 72.
OSSVÁRIAM	Maffei Mus. Ver. 257, 5.
IANVÁRIVS	Grut. 968, 7. *Mar.*
*SALVTÁRITER	Marin. Iscr. Alb. p. 137.
STATIÓNIBVS	Oderic. Syll. p. 206. *Mar.*
DIADÝMENO	n. 17.
CONTVBERNÁLI	Passion. 110, 29.
PAMPHILIÁNVS	Murat. 891, 2. *Mar.*
POSTVMIÁNVS	Grut. 966, 1. *Mar.*
CONCILIÁTVM	Oderic. Syll. p. 206. *Mar.*
*PATIENTÍA	Marin. Iscr. Alb. p. 137.
DECVRIÓNVM	Marin. Fr. Arv. p. 710.
	n. 13.
TRIDIAVÓRVM	Murat. 330, 6.
COCCEIENIÁE	n. 18.
BENEMERENTÍ	Murat. 1381, 12.
*CENTENARIÓ	Marin. Iscr. Alb. p. 143.
PIENTISSIMÓ	Guasco Inscr. M. Cap. n. 626. *Mar.*
*FLÁVIÁLIVM	Marin. Iscr. Alb. p. 72.
*LÍBERTÁBVSQVE	Marin. Iscr. Alb. p. 63.

IÁN*uarias*	Tab. Arv. XXVI.
VÁ*lerianus*	Bull. d. Inst. 1835 p. 158.
PRÓC*uratori*	Marin. Fr. Arv. p. 710.
	Marin. Fr. Arv. p. 711.
VEST*iario*	Fabr. 52, 301. *Mar.*
IANVÁR*ias*	Tab. Arv. XXVI.
RATIÓNIB*us*	Murat. 900, 8. *Mar.*
CALVÍSIANO	Marin. Fr. Arv. p. 713.

SEX SYLLABARVM VNVM EXSTAT VOCABVLVM:

DECVRIÓNATVS.	Grut. 481, 9. *Mar.*

VOCABVLA MVTILATA.

*TRÁ....	Marin. Iscr. Alb. p. 137.
*CÓNSECRAT...	Marin. Iscr. Alb. p. 139.

*...TVS	Marin. Iscr. Alb. p. 138.
*...LÁTÓ	Marin. Iscr. Alb. p. 138.
*...STODÍA	Marin. Iscr. Alb. p. 137.
*...DENTIÁ	Marin. Iscr. Alb. p. 138.
**pro*PVGNÁTRICEM	Marin. Iscr. Alb. p. 139.
**dep*ÓNEREM	Marin. Iscr. Alb. p. 137.

Hi autem accentus non sunt confundendi cum *sicilico*, cuius signum virgulae simillimum (') supra litteram *V* ponebatur, ubi antiquitus *OV* ponebatur, ut in RV̓FA, SV̓RA, FV̓RIVS, PHILOMV̓SVS, SV̓TORIVS, IV̓LIO (cf. Marini, Iscr. Alb. p. 84. fr. Arv. p. 39), vel supra consonantem, quae geminanda erat e. g. SEL̓A, SER̓A, AS̓ERES, quod in multis veteribus libris se vidisse dicit Marius Victorinus (p. 2456 P. cf. Isid. Orig. I, 27). In inscriptionibus tamen non memini inveniri, nisi forte in v. DÍVNXISSET accentus litteram geminandam esse significat. [Cf. tamen Marin. Iscr. Alb. p. 37, qui exempla affert.]

Denique accentus bene distinguendi sunt a punctis, quae interdum supra vocabula ponuntur accentibus similia. Ita in hac tabula marmorea, quam in monasterio S. Paulli descripsi:

D ȣ M
CLVTVRIA EVTYCHÍS ET CL'
VRBICVS' DONABERVNT'
C' STATILIO HOSPI'
TALI ET STÁTILIAE TH
IBENI' LIBERTI' LIBQ'
POSTERISQ' EORVM

Etiam in inscriptione apud Grut. 1047, quae iam in museo Vaticano est, idem in fine linearum interpungendi genus observavi, et similiter in alia Grut. 727, 7, quae ibidem est, ubi tamen puncta non supra litteras, sed eadem fere linea posita sunt.

APPENDIX.

Hisce exemplis a *Kellermanno* compositis adiicio alias quasdam inscriptiones apicibus insignitas, quae accurate editae esse videntur, aut recentiori tempore inventas,

aut in libris publici iuris factas, qui hic terrarum minus obvii sunt. Singulas autem voces indici Kellermanniano inserere nolui, ne normam ab eo propositam corrumperem, ne quid reciperetur nisi aut ab ipso aut a Marinio visum. Novum tamen indicem adiicere supervacaneum duxi, cum inscriptiones numero haud multae sint et facile in ordinem redigi possint.

*1. Cippus sepulcralis, olim in vinea Nari, iam in museo Pio-Clementino; ed. Muratori p. 2044, 3 negligenter et sine apicibus, accurate Fea, relazione di un viaggio ad Ostia p. 42.

P. APICATIVS. P. F. CLA. CELER
VIX. ANN. XXVI. MENS. IIII.
DIEBVS. IIII.
VETTIA. D. LIBERTA. EROTICE
MINIARI. ATIMETI
C. MINIARIVS. ATIMETVS. PROCV
SOCIORVM. MINIARIARVM
P. APICATIVS. P. F. PRICVS
V. A. XXVI. M. IIII. D. III.

*2. Inscriptio apud Viscontium, Monum. Gabin. p. 15. (11 ed. Mil.), repetita a Marinio (Papiri diplom. p. 338.), qui tamen non addit, se ipsum exscripsisse.

L. ANTISTIO. C. F
VETERI. PONT. PR
X. VIR. STL. IVD. Q.
TI. CAESARIS. AVGVSTI
DECVRIONES. ET. POPVLVS
MVNICIPES. GABINI
PRAEFECTVRA
SEX. MARCI. TERIS. ET. C. VARINI. CANACIS

*3. Tabula marmorea grandissima Parmae reperta; inscriptionis magnam partem delerunt pictores, qui marmore usi sunt ad colores terendos; edit. P. de Lama, Iscrizioni antiche collocate ne' muri della scala Farnese p. 118; guida al ducal museo d' antichità di Parma n. 34.; in anthologiam n. 1534 recepit H. Meyerus.

DIIS. MANIBVS
ATILIAE. SEVERILLAE. FILIAE. PIISSIMAE
ATILIA. ONESIME MATER

HVNC. TITVLVM. NATAE. GENETRIX. DECEPTA. PARAVI. POST. TENEROS. MANES. ET. ACERBAE. FVNERA. MORTIS
ILLA. BIS. OCTONOS. VIXIT. MISERANDA. PER. ANNOS. ETICI TENEBRAS
VT. PLENŌS. LACRIMIS. OCVLOS. MANVS. AETERA. CLVS*AE* AES
NAMQVE. MORI. LEVIOR. POENA. EST. QVAM. QVAERERE. MORTEM I
INFELIX. NATAE. CINERES. CVSTODIO. MATER. I
ANTE. BIS. OCTÓNÓS. QVAM. LVX. MIHI. VERTERET. ANNOS MORSAS
TALE. NEFAS. MATRI. MORS. PROPERATA. TVLIT ORQ
ILLA. MEIS. SEMPER. TVM RHANN
LVGET. ET. IN. NOS A. DOMO
INFELIX. STYGIO IA. SEPVLC
ADIACET. ET. TV RA. MEOS
SALVE. PRECOR. *A*VI A PENATES
EXCIPIS. ELYSI*AMA* H. M. H. N. S. IPSA. ROGOS
VIXIMVS. HENNAEAE SINE DOCVERE RAPINAE VI MEAE AXIMAE. MANESQVE. PIORVM
ERVBVIT. NOSTRAS. ATROPOS IPSA. COLVS DVM VI MATRIS. FVNERE. TARDA. COMES [1])

[1]) Quae litteris inclinatis impressa sunt, haud clare legi possunt in marmore; v. 3. Meyerus l. l. legit: *manus altera clusit.*

*4. Cippus Velleiae a. 1760 repertus, nunc Parmae in museo; ed. P. de Lama, guida n. 42.

VA...IAE. C. F
V..AE
P. C...ELIVS
....VXORI
....AVGVST

*5. Parva tabella edita a Cavedonio (Marmi Moden. p. 179, 13):

C. TINVLEVS· T. F
MINER
VOTVM
S. L. M

*6. Cippus arae similis apud Cavedonium (Marmi Moden. p. 237, 31).

D. M.
Q. ^ SOSI ^ GEORGI
IVVENIS ^ OPTIMI
PIENTISS ^ PARENTES
VIXIT ^ ANN ^ XL ^ DECES
IN. SICILIA ^ SYRACVSIS.

Idem affirmat p. 277 inscriptionem apud Grut. 525, 5 (non 625, 5), quam repetiit n. 55, accuratissime a Sanctio esse exceptam, quare eam hic repetere nolui.

*7. Inscriptio Pompeiana apud Raim. Guarinium, comment. VI, p. 50, 11:

INVENTVS. DENTAT. DAP.
FELIX. MELISSAEI. FAVSTI
NYMPHODOTVS. HELVI
SPERATVS. CAESIAEMVS
MIN. AVG. D. D. IVSSV
M. HOLCONI CELLI. L. AELITVBER. D. V. I. D
C. VERGILI. SALINÁTORIS. CN. LVCRETI
DECENTIS. VA. S. P. P
C. ASINIO. C. ANTISTIO. COS

*8. Inscriptio apud Cardinalium (Dipl. imp. p. 183, n. 325).

Q. LOLLIVS. EROS
CAÉTENNIVS. FLOR
SPONDE. CAETENNIA. SIBI
BREMONTI. V. A. VIII. IALO. F
ERÓTIS. ORN. V. A. XIX. M. VI
SPERATA. ÓRN. V. A. XIII.

In alia inscr. ibid. p. 183, n. 326, longiore, quam quae hic exscribatur, unum verbum apice signatur, l. 7. HONORÁVIT.

*9. Inscriptio in fundis Amendolae reperta apud Cardinalium (Dipl. imp. p. 222, n. 420):

DIS MANIBVS
M. CLODIÓ SATYRO.
ANTÓNIA. FORTVNATA
FILIASTRÓ. m) SVÓ. B. M.
VIXIT. ANNIS. XXIX. M. VIII
DIES XXV. H. X. SIBI. ET
POSTERITSQVE. SVIS

*10. Ara cum simpulo et patera, edid. Murat. 98, 3. Guasco, Inscrr. Mus. Capit. I. p. 35. negligenter; accurate Cardinali (Iscr. Velit. p. 5, n. 4.) edidit:

MATRÍ. DEVM
ET. NAVI. SALVIAE
Q. NVNNIVS
TELEPHVS. MAG
COL. CVLTÓ. EIVS

D. S. DD.

m) *Filiaster.* Addendum hoc exemplum aliis a Forcellinio collectis; *filiastra* est etiam in titulo apud Millin. voy. d. l. midi d. l. France I, p. 443.

*11. Basis marmorea Borgiana; edid. Grut. 1065, 11, Fabr. 472, 22, Fea, framm. di fasti p. XLII sine apicibus, accurate Cardinali (Iscr. Velit. p. 9. n. 5):

TI. CLAVDIO. CAESARE
AVG. GERMÁNICO. V
SER. CORNÉLIO. ORFITO. CoS
ISIDI. INVICTAI. ET. SERÁP . . .
MAÍDIVS. SER.ILIAI. A.IOL . . .
LIB. AMERIMNVS
EX. .IISV

*12. Lapis Syracusis repertus, in museo collegii Panormitani societ. Iesu servatus, unde eum Lupi in dissert. de Sev. mart. epit. p. 60 aeri incisum dedit, ob singulare interpunctionis signum, quod l. 1. exstat:

D . Ϛ . M . Ϛ
ERÓTI. IVNI. IVLIÁNI. PRO
CÓS. SER CVBICVLARIÓ
IVNIVS ALCIBIADES BENE
MERENTI FÉCIT
VIXIT - ANNIS. XX

*13. Tabula marmorea; ed. Grut. 492, 9 omissis apicibus, accurate Fea, framm. di fasti p. XXX, 1:

. . . . . .
IIII. VIRO. VIARVM. CVRANDARVM
TRIB. MIL. LEG. V. MACÉD. Q. VRBANÓ
AEDILI. PLEB. CERIÁL. PRAET. LEGATÓ
PROVINCIAR. SICILIAE. ET. ASIAE
PROCÓS. PROV. GALLIAÉ. NARBONENS
LEGATO. LEGIONIS. VIII. AVGVSTÁE
L. VETTIVS. FELIX. ET. P. NÓVELLIVS. ATTICVS
AMICI

*14. Tabulae duae parvae a. 1817 pone Phocae columnam inventae; ed. Fea, framm. di fasti p. LXVIII, varietà di notizie p. 68:

AΘANAI — AΠωCIKAKOIC
AΠOTPOΠAIAI — ΘEIS
EX ÓRÁCVLO — EX ÓRÁCVLO

*15. Tabula a. 1817 in vinea Amendolae reperta; ed. Fea, framm. di fasti n. 26 cf. p. XLIX sq. (Meyer, anthol. Lat. n. 1615),

HÓC. EGO. SVM. TVMVLO. MARCIANVS. REDDITVS. AEVO
NÓN. DVM. PERSEPHONÉS. SPÉRÁBAM. VISERE. RÉGNA
CONSVLIBVS. TVNC. NATVS. ERAM. ITERÓQVE. SEVERO
ET. FVLVO. PARITER. QVO. CAEPI. DVLCIS. HABÉRI
SEXTVS. VT. EXCESSIT. COEPI. LANGVESCERE. IN. ANNVM
APSTVLIT. ÓSAEVA. LVX. NONA PARENTIBVS. ORTA
PLANCTIBVS. HEV. MISERAE. MATRIS. PATRISQVE. SIMITV
SPÉS. MIHI. QVAM. MAGNA. FVERAT. SÍ. ME. MEA
FATA. TVLISSENT
MVSAE. MIHI. DEDERANT. PVERÓ. FACVNDVS. VT. ESSEM
INVIDIT. LACHESIS. CLOTHÓ. ME. SAEVA. NECAVIT
TERTIA. NEC. PASSA. ÉST. PIETATE. REPENDERE. MATRI
QVAM. PIE. QVAM. CRÉBRÉ. VENIT. SACRA. VIA. TOTA
FLEVIT. ET. INMENSA. TVRBA. FVNVSQVE. SECVTA
DIXERVNT. FERALE. DIÉM. STATIONIBVS. ATRIS
QVOD. TENERAE. AETATI. SPES. FALLAX. APSTVLIT. ANNOS
NEC. NÓN. OMNIGENA. PASSIM. VICINIA. VENIT
VT. ME. CVM. FLOREM. FATO. MORIENTE. VIDERENT
TV. REDDAS. AÉTERNE. PIIS. SOLACIA. SEMPER
ET. VITAM. SERVES. CVNCTIS. GENERISQVE. PIORVM.

*16. Fragmentum inscriptionis a. 1817 apud templum Concordiae inventum; ed Fea, varietà di notizie p. 95:

. . . . . .
. . . . I VSITANIAE
. . . . . DESIGN
pro SALVTE. TI. CAESARIS
AVGVSTI. ÓPTIMI. AC
IVSTISSIMI. PRINCIPIS
CONCORDIAE
AVRI. P. V.
ARGENTI. P. X.

ADDENDA.

Cum *Kellermanni* dissertationem de calendarii Cumani fragmento, ut par erat, intactam reliquerim, hic tamen pauca afferre lubet, quae cum ab ipso comparari non potuerint, non sine fructu tamen adhiberi possunt. Ipsa inscriptio, sicut a Iorio edita erat, e diariis instituti archaeologici repetita legitur in diariis Darmstadiensibus (Zeitschr. f. A. W. 1839. n. 58); discrepantias, quae ibi inveniuntur, enotare supervacaneum est, cum hic fideliter e lapide transscriptum fragmentum exhibeatur. Ceterum notavit ibidem F. O., non videri calendarium, sed monumentum potius quoddam historicum in honorem Augusti compositum Ancyrano simile. Quod restat, de *natali Augusti* (p. 11) egit Weichert, Imp. Caes. Augusti scriptt. rell. p. 2, de *anno togae virilis* (p. 13) idem p. 9, de *nomine Augusti* (p. 17 sq.) idem p. 69 sq., et, qui Ovidii locum emendavit, R. Merkel in egregia commentatione de Ovidii Fastis p. LX, in qua plura etiam inveniuntur, quae huc spectant.

P. 26. n. 19, l. 5. *Elainus* nomen exstat etiam in inscriptione Farnesiana:

Q. CAELIO. Q. L. ELAIN..
Q. CAELIVS. Q. L. VE*s*
PER. VESTIARIVS
TENVIARIVS

quam contra Maffei (Ars crit. lap. 556, 389) suspicionem defendit Guarini (comment. VIII. p. 69), ipse falsus in nomine explicando, cum putat, positum esse pro *Elaunus* vel *Elaunon*. Est notum verbum ἐλάινος pro nomine proprio usurpatum.

P. 28. n. 1, l. 2. *Surus* nomen, idem quod *Syrus*, frequens in inscrr., e. g. in vasculo Aretino, quod edidit Zannoni in Inghirami lett. di Etrusca erud. p. 137. Adde Cardinali, diplomi p. 50. Millin, voyage d. l. midi de la France I, p. 511.

P. 30. n. 23. L. FVRRANI. L' L' MAMAE. *Kellermanni* haec exstat annotatio ad Inscriptiones Dalmaticas, I, 18.

L. STATIVS. L. F
FACULA. QVINQ
MATRI. DEVM
AEDEM. D. P. S. F
EX. VOTO

Inscriptionem Lanzae misit Furlanetto, qui primus edidit in lexico s. v. *facula*. Nominibus feminineae terminationis saepe pro cognominibus virorum usi sunt Romani. Exemplis, quae permulta congesserunt Marini (Fr. Arv. p. 323.) et Cardinali (Dipl. imp. p. 53) alia quaedam addam iis ignota, aut si quae ineditas inscriptiones proferendi vel editas corrigendi opportunitatem praebeant. *Antiocha* cognomen est virile in hac inscriptione tabulae marmoreae, cui lineae incisae erant, quam descripsi in villa Casalia in monte Caelio:

D. M
CORNELIAE. RHODO
PES. A. CORNELIVS
MYRISMUS. PATRONE
ET. COIVGI. INCOMPA
RABILI. ET. M. VLPIO
ANTIOCHAE. BENEME
RENTIBVS. FECIT
ET. SIBI. ♁.

